nimia eſſe poteſt diligentia, nimis unquam cœli ſubſidium implorari non poteſt. Et profecto quidquid efficere poteſt negotii alicujus exitum ambiguum, incertumque hominum ſapientum judicio, invenitur in electione ſtatus vitæ, quam ipſi facimus, & quidquid efficere poteſt, ut pravus negotii exitus ſentiatur, ſeparari non poteſt ab erroribus, quos in iſto committimus.

Cum agitur de vitæ ſtatu eligendo, ut illum amplectamur, nequaquam judicium ferendum eſt de ſtatibus ex eo, quod ipſi per ſe ſunt, ſed ut ſapiens, ac prudens electio fiat, illi conſiderandi ſunt ex ratione, quam habent nobiſcum. Noſtra ſalus, & Dei voluntas, quæ tali in ſtatu nos verſari jubet, eſſe debent veluti principia, & cauſæ noſtræ electionis, ita ut vere dicere poſſimus, hunc potius, quam alium quemlibet ſtatum eligo, quia poſt diligens examen cenſeo coram Deo, hunc eſſe illum, quem æterna infinitæ ſapientiæ decreta mihi prænotarunt; hoc animo illum amplector, ideoque in eodem & vivere, & mori volo. Talia eſſe debent illius hominis conſilia, qui falli non vult.

Non deeſt illuſio in eo, quod vulgo dicitur, hominesin qualibet conditione ſalvari poſſe.

Cum oſtenditur periculum, quod adeſt quibuſdam in ſtatibus, qui parum congrui videntur ætati, viribuſque eorum, qui amplectuntur illos, putant ſe ſolidam afferre reſponſionem; nequaquam impoſſibile eſſe in quolibet ſtatu ſalutem ſuam operari, periculum ubique adeſſe, ubi bona deſit voluntas, ubi vero adſit, ubique ſalvari non poſſe. Sed hac in reſponſione plurimum illuſionis adeſt. Verum eſt in quolibet ſtatu ſalvari nos poſſe, ſed illic nonniſi ſummo niſu, quem pauci exerunt, ſalſus poteſt acquiri. Verum eſt, eos, qui in eo ſtatu ſunt, ſalvari poſſe per gratias, quas a Deo recipiunt; ſed non ſemper paratus eſt Deus, ut illis, qui ejus injuſſu ſtatus eos ingrediuntur, potentes concedat gratias, ſine quibus nemo re ipſa ſalvatur. Hoc rite conſiderandum eſt, & ad examen vocandum, antequam ſtatus aliquis ſuſcipiatur.

Prædeſtinatio noſtra pẽdet ab electione ſtatus.

Omnis noſtra prædeſtinatio fere pendet a ſtatu, quem amplectimur: inde fere unice pendet noſtræ æternitatis felicitas, vel infelicitas. Prædeſtinatio, Theologi inquiunt ex parte Dei non aliud eſt, quam catena gratiarum, quæ nobis præparatæ ſunt, ex parte vero noſtra non aliud, quam ſeries actionum, quibus innititur judicium decretorium, quod de nobis a Deo fit. Quot reprobi, qui in inferno torquentur, vixiſſent in terra vitam Sanctorum, ſi Dei vocem ſecuti fuiſſent, eum amplectentes ſtatum, ad quem a Deo vocabantur? Quot cœlo fruuntur ſancti, qui in terris impii, ac flagitioſi fuiſſent, ſi eam elegiſſent conditionem, ad quam a Deo non vocabantur?

Quam neceſſaria ſit gratia vocationis ad aliquẽ ſtatum.

Poſt baptiſmi gratiam, quæ ſalutem noſtram incipit, & gratiam bene moriendi, quæ illam perficit, gratia ſtatus bene eligendi pro toto vitæ ſpatio una omnium maxime ſalutaris eſt, ac neceſſaria; quia eſt tanquam medium, & vinculum, quo baptiſmi gratia, & gratia finalis ſimul nectuntur. In communi via ad ſalutem triplici nobis opus eſt gratia, quibus illa innitatur; illi, qui primam in baptiſmo recepit, ac tertiam in morte recipere cupit, nihil utilius, & magis neceſſarium eſt, quam bene eligere ſtatum vitæ, ad quem vocatur a Deo; bona quippe electio, ſi noſtræ prædeſtinationis, & ſalutis ratio habeatur, idem eſt ac lapis medius, qui fornicis clavis appellatur ratione utriuſque partis fornicis ejuſdem, quæ clave hac junguntur, & ſuſtinentur.

Ratio, & fides credere vetant Dominum, poſtquam miſericordia ſua nos ad evangelii lumina evocaverit, voluiſſe nos tradere libidini, & arbitrio noſtro, necnon mentis noſtræ tenebris, penes nos relinquentem noſtræ ſortis imperium in electione, a qua æternitas noſtra penderet. Et ratio conſtat: neque enim Deus otioſum eſt numen, quod omnia ſorti committat; ſed univerſorum regimen ſpectandum eſt veluti opus infinitæ ſapientiæ, quæ regit omnia, quæ omnia ad ſuum finem adducit per vias, quæ naturæ eorum aptæ, & accommodatæ ſunt; & ſicuti in hominibus vitæ ſtatus quamplurimum confert ad finem, cui illos deſtinat Deus, ita eos opus eſt eodem vocari.

In omnibus ſtatibus concedit Deus peculiares gratias ut ſalutem conſequamur.

Cum ſtatibus omnibus ſua adſint peculiaria pericula, Deus omnibus propria ſuppeditat ſubſidia, ut illa evitantur. In theſauris miſericordiæ ejus non deſunt hujuſmodi gratiæ, ut quilibet ſtatus ibi peculiaria nanciſcatus auxilia, quæ ſalutem ipſorum maxime deceant. Non deſunt gratiæ ſacerdotii, magiſtratus, patrum familias, privatorum; gratiæ ſeceſſus, conjugii, cœlibatus, viduitatis, Deus nunquam nos alicui deſtinat fini, quin nobis conferat media, quibus ad eum perveniamus. Præcipiens ſingulis finem, quo illi tendant opus eſt, illius electioni adnectit ſubſidia, & neceſſarias vias, quæ illuc feliciter adducant. Sed ut in gratiæ ſtatus alicujus partem veniamus, ad illum a Domino vocandi ſumus. Si temet aliquo in gradu collocare cupis, tuum eſt ibi teipſum tueri; niſi es in via, quam deſtinavit tibi, te tibi tradit; ſolus incedes neque deducet te.

Nullus eſt vitæ ſtatus, quem inexplorata Dei volũtate liceat ãplecti.

Quamcumque libertatem homini conceſſerit Deus illum, ut Scriptura inquit, relinquens in manibus conſilii ipſius, generale effatum eſt innixum religionis principiis, nullum eſſe vitæ ſtatum, quem homini chriſtiano liceat ingredi a Deo non vocato; nullam eſſe conditionem, cujus præcipua, atque eſſentialis regula non ſit, a Deo ad eamdem vocari; nullum gradum, nullum munus, quod periculo careat, ubi inexplorata Dei voluntate ſuſcipiatur. In hoc, S. Chryſoſtomus ait, poſitum jus eſt ſupremi imperii, quod quod ſibi reſervavit Deus in creaturam rationabilem, atque intelligendi vi præditam, & in hoc beata conſiſtit obligatio, qua creatura uti non debet libertate, & jure ſuo niſi dependenter a Deo Domino ſuo: quia nihil eſt arctis adeo vinculis cum ſalute conjunctum, quam id, quod vocationem dicimus.

Quamquam Deus vitæ, & officiorum noſtrorum ſit dominus, ac abſolute de nobis diſponere valeat, non ſemper tamen hoc imperio, & ſeveritate nos regit. Cupit ſemper voluntatem noſtram a ſua non abhorrere, noſtraque conſilia cum ipſius conſiliis conſentire pro ſtatus electione. Nos igitur eo vocat, ubi nos deſtinat; & ſi fideliter voluntatem ejus ſequimur, nobiſcum agit tanquam cum filiis, qui patrem verentur, eidemque obſequuntur, & qui nolunt emancipari, & illius jugum excutere.

Vita, moreſque ad ſtatũ formandi ſunt.

Hæc veritas eſt, de qua nobis perſuaſum eſſe debet, Statum noſtrum nobis indigitare debere omnia opera bona, quibus vacare debemus, & illa, quæ ab aliis fieri debent, relinquere. Nullus enim dubitandi locus eſt, ſicuti ex altera parte neceſſe eſt opera bona fieri a nobis, ac nos orationi, jejuniis, eleemoſynis, & mortificationi indulgere; ex altera iis, quæ univerſi præſtare debemus Deo, ſingula peculiarem ordinem habere, a quo recedendum non eſt, & mandata, in quibus eſt ſubſiſtendum, quin perperam tranſitus fiat ad ea, quæ in eo ſtatu nequaquam requiruntur.

Quid faciendum cũ prava facta fuerit electio.

Qui in ſtatus ſui electione ſe deerraſſe putant, ſibimet conſulere opus eſt eam, quam fecerunt, electionem emendaturi. Vel enim ſtatus eorum ſtabilis, ac permanens eſt, veluti ſacerdotium, conjugium, religio, vel liber eſt, ac ſine ullo vinculo neceſſario, quales ſunt pleræque vitæ hujus conditiones. Si liber eſt, & poſt maturam deliberationem bona fide cognoſcunt Deum illos in hoc ſtatu minime velle, illum ſtrenue relinquant, oportet; tandem enim hoc munus illi non æque pretioſum eſt ac oculus, quem tamen erui Deus jubet, ſi ſcandalum attulerit. Sin autem ſtatus eorum eſt permanens, Dei voluntas eſt illos in eodem morari; & docent Theologi, licet Deus non hæc primum de illis habuerit conſilia, ex quo tamen permiſit ut illi ſeſe æterno ſtatui implicarent, illum ſecunda voluntate ſua ratum feciſſe alterum hunc ſtatum; nec deeſſe illi gratias, quarum ope malum reparare poſſimus, & quas nobis confert, ut ſaluti noſtræ proſpicere valeamus. Hoc ſolum nobis perſuaſum eſſe debet, quod cum difficilius ſit nos ibi ſalvari, majorem a nobis afferendam eſſe fidelitatem, ut gratiis hujuſmodi reſpondeamus.

Duo mortalium genera, quibus Deus ſuã non largitur opem.

Dicere poſſumus mundum in duo mortalium genera eſſe diviſum, quorum alii ex ſe ſtatus, profeſſiones, ac miniſteria ingrediuntur, ſeque ſua manu ibi conſtituunt. Alii vero a Deo vocantur, ac ſtatum Dei juſſu amplectuntur. Attamen hoc diſcrimen nequaquam efficit, ut noviſſimi melius, quam primi proſperentur, & beatiores fiant; & ratio, quæ malum hoc hinc inde par efficit, hæc eſt, quod Deus neutris ſuam opem, validumque præbet ſubſidium, qua utrique æque indigni ſunt. Hoc primis renuit, quia ipſum non conſuluerunt, & quia propriæ tantum cupiditatis motu ſeſe eo in ſtatu conſtituerunt; neque poſterioribus illud concedit, quin reſpondeant gratiæ, qua illos dignatus fuerat, quin animum appellant acquirendis virtutibus, quas ab illis, expetebat ſtatus, ad quem vocaverat illos, prorſus alia curant negotia, & in oppoſitum tendunt.

De mutatione ſtatus, & conditionis.

Status, vel loci mutatio vulgo tanquam tentatio reſpicienda eſt. Fere ſemper Dei jugum excutere contendimus, cum recedimus a loco, vel ſitu, in quo nos illius providentia conſtituit; & quemadmodum plerique eorum, qui conditionem, locumve mutant, id agunt ex inconſtantia, vel ob rationes prorſus humanas, perraro accidit, ut hujuſmodi motus illis afferant vel requiem, vel ſolatium, quod ſe illic nacturos eſſe ſperaverunt.

PA-

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentibuſque concionatoribus loci hujus argumenti.

Fortuito amplectendus non eſt vitæ ſtatus, ſed antea mature deliberandũ eſt.

PRobatiſſimum eſt in morum diſciplina principium, eos, qui fortuito agunt, imprudenter agere, tunc etiam cum aliquid illis cedit e ſententia, aut cum aliqua ab illis bona electio fit. Ita homo ſe infra ipſam brutorum conditionem ſubmittit, quæ natura ſortis arbitrio committere noluit, & quibus inſtinctum quemdam immiſit, quem tanquam regulam aliquam ſequerentur. Homo vero ab illis diſtinguitur propter eximiam hanc facultatem, qua cognoſcit, quamnam rationem habeant media cum fine, quem ſibi proponit. Ex quo igitur homines ſe ipſos adeo neceſſario privant auxilio, atque ſeſe ſortis arbitrio committunt, patet, illos ſeſe manifeſto objicere periculo ſe ipſos fallendi; & cordatus quilibet fatebitur, probabilius eſſe illos deerraſſe, quam credibile ſit, eos in recta via incedere.... Hoc argumentum nobiſmet ipſis applicemus in negotio ſtatus vitæ, quem debemus amplecti. Omnes vitæ ſtatus viæ ſunt, quæ nos ad æternitatem adducunt; providentia noſtrum ſingulis ſtudium aperit, ubi curſum abſolvamus, & deſtinatum nobis bravium promereamur. Verum ſi tuto, ac non fortuito incedere cupimus, quin ſciamus, quo pergimus, temere ingredi non debemus in viam, quam nobis providentia non aperit. Etenim quamvis hæ omnes vitæ in cœlum adducant, quilibet ſuam habet prænotatam; neque ad omnes pertinet pervenire ad terminum per vias, quas nobis Dominus nequaquam præſcripſit. *P. Cheminais, ſermone hujus argum. Tom. 2.*

Ad vitæ ſtatum bene eligendum omnia abjicienda ſunt præjudicia.

Quid prodeſt generatim ſentire, opus eſſe, ut ſalvemur, & ſalutem pro fine, ac norma ſtatus noſtri accipiamus, atque eum ſequamur, quem aptiſſimum eſſe cenſuerimus, ut eo perveniamus? Quid prodeſt inquam hoc ſentire, ſi alioquin mens noſtra ſexcentis repleta præjudiciis ſententia hac non utitur, uti decet? Quis enim ex humanis mentibus avellere poſſet omnia erroris principia, quibus judicia earum corrumpuntur? Et ubi quis ſemel ſequatur quædam placita, quæ mundi ſapientibus arrident, quomodonam uti poteſt conſiliis, quæ ipſi traduntur, & cognitionibus, quas adeptus eſt? Qui objecta nonniſi per organum male affectum intuetur, nunquid minori in periculo ſemet decipiendi verſatur (quantumvis aliunde lumen illi ſuppetat,) quam qui hoc carent auxilio? Quærimus, dicimus ipſi, quid velit Deus, & nobiſmet perſuadere volumus, nos bona fide agere. Fortaſſe etiam aliquid peccamus, quia modicam adhibemus diligentiam, ut ad examen noſtra præjudicia vocemus; ſed falſa perſuaſio, ac præjudicium temere conceptum infinitorum errorum eſt cauſa. Ut igitur in re tanti negotii ſapienter noſmet geramus, veritatis oracula ſine præjudicio conſideranda ſunt, atque illi ſine ulla exceptione eſt obtemperandum. *Idem.*

Fallacia præjudicia, quibus nos præverti patimur erga ſtatus aliquos, & quæ prohibent, ne bona electio fiat.

Inter fideles ipſos, qui ſaluti ſuæ conſulere quærunt, non deſunt, qui de amplectendo vitæ ſtatu deliberare incipiant, religionis ſtatum excipiendo, ſic, ut ita dicam, cum providentia ſtipulatur, ut feratur conditio æquior, & naturæ magis accommoda. Alius, qui cœlibatus pacem, & libertatem cum conjugii ſervitute comparat, in reliquam vitæ ſuæ partem ſacrum hunc modum rejicit, atque inconſulto Deo illum excludit, conſilii ſui ita certus, & contentus, ut de hac re ne momento quidem hæreat. Hic conjugii amore præventus, ne conſiderat quidem, utrum hoc recipere debeat ſacramentum, quod nihilominus etiam, atque etiam eſſet conſiderandum; ſed de bonis, affinitatibus, dotibuſque illius, quam in uxorem ducturus eſt, ſerio deliberat; & ſi eo procedit, ut futuræ conjugis virtutem, ac probitatem vocet ad examen, ita ſibi complacet in re adeo a communi uſu abhorrenti, ut præcipuus electionis error negotium illi nequaquam faceſſat. Ille ſecreta ambitione tamen, cui facere ſatis non poteſt in ſæculo, non ambigit, utrum eccleſiam ingredi debeat; ſed cogitat, quem illic gradum habiturus ſit, ad quas dignitates poſſit attolli; circa vero electionem a ſe factam animum habet tranquillum. O nos cæcos, & miſeros! Speramuſne ſecretis amoris proprii conſiliis facere poſſe, ut divinæ providentiæ conſilia ad arbitrium noſtrum torqueamus? Fallimuſne Deum, an noſmet ipſos? & credimus nos æterna ſapientiæ decreta mutare poſſe, illa oculis noſtris auferentes, illa ſub ineptis prætextuum coloribus diſſimulantes, eaque in ſenſum noſtrum interpretantes? *Id.*

Vulgo mũdi, non evangelii leges ſequimur, cum de ſtatu amplectẽdo ſermo eſt.

Quædam mundi leges cum de ſtatu eligendo ſermo eſt, nobis quodammodo principiorum locum habent. Ne venit quidem in mentem de illis ambigere; neque putaremus nos æque ratiocinari, niſi noſtra conſilia ineptiſſimis hujuſmodi placitis inniterentur. Opus eſt primogenitum in ſæculo domus dignitatem tueri; alterum ab hoc altarium miniſterio addici, neceſſe eſt; tertium cœlibatum profiteri in aliquo ordine militari; puellam, quibus negavit natura decus, ac ſpeciem qua aliæ commendantur, in omne vitæ ſpatium inter clauſtra eſſe ablegandam; eam vero, quæ egregiis donata eſt dotibus, in mundi lucem eſſe proferendam; idque ob eas rationes, quæ fortaſſe in dubium revocare deberent, utrum utilius eſſet alteram alterius inire conſilium. Filius tenetur togam amplecti, quia magiſtratus aliquis jampridem in familia perſtitit; alius, qui jam eccleſiaſticum ſtatum fuerat ingreſſus, ob natu majoris deceſſum arma ſequitur. Fieri profecto poteſt, ut providentia ſeſe omnibus hujuſmodi eventibus accommodet; ſed quomodocumque ſit, hujuſmodi ſtatus non ea ex parte ſpectantur, ſed quia paſſim conſuetudo illos recepit. Tu vero, Domine, itane judicas? Agnoſciſne iſtic primum illud conſilium, quod de hominis fato concepiſti? Satine intellexerunt illi altitudinem conſiliorum tuorum in hoc graviſſimo ſuæ ſalutis negotio? Nunquid infinitæ ſapientiæ tuæ conſilium ingreſſi ſunt? Hinc debent illi, & poſſunt conjicere, utrum ſe ipſos deceperint, & an in bona via eſſe perſeverent. *Idem.*

Quotuſquiſque magnum hoc incipiens ædificium, in quo in omnem permanſurus eſt æternitatem, ſupputat ea, quæ habet, bona juxta Jeſu Chriſti conſilium, ad examen revocat vires ſuas, talenta, dotes naturales, & acquiſitas, ac inde fert judicium, utrum habeat, unde opus ad finem uſque perducat? Aſcendunt homines ipſa, unde jus dicendum eſt, ſubſellia, quin ſuum captum, ſuoſque mores conſiderent. Fruſtra ſuadet Sapiens, ne judicandi provinciam aggrediamur, niſi nobis ſatis fuerit roboris, atque conſtantiæ ad tuendas partes egeni, qui a fortiori opprimitur, & ad miniſterium hoc eadem æquitate exercendum, qua ab ipſa lege exerceretur, ſi hæc per ſe ferre poſſet judicium. Invehuntur in eccleſiam male nati filii cupiditatum ſuarum, quæ magis acres, & inordinatæ ſunt, mancipia, qui nullo pietatis ſenſu afficiuntur, & qui magis mundani ſunt, quam qui in mundo vivunt. In illud munus irruimus, ubi ſeſe primum nobis offert ſpes lucri, quin bonæ fidei, & probitatis noſtræ faciamus periculum. Nonne igitur nobis credendi locus eſt eo modo, quo hodierna die vitæ ſtatus paſſim eligitur, extremum eſſe periculum, ne noſmet decipiamus? *Idem.*

Aliquando cõſanguinei, & amici conferunt aliquid, ut pravam electionem faciamus.

Perinde ac nullus nobis eſſet obex, quo bonam electionem facere prohiberemus, conſanguinei, & amici, qui nobis duces eſſe deberent in re, quæ tot periculis eſt obnoxia, illi vulgo ſunt, qui præ cæteris nos in errorem impellunt, & nonnunquam cæci ſunt duces cæcorum; at mirumne eſſe debet, ſi hos in præceps adducunt? Poſſuntne illis aliam immittere mentem, quam ipſi habeant? quam vero plerique habent, niſi humanam, omnibuſque cupiditatibus perviam? Hinc licet Tridentina Synodus tot contorſerit anathemata in eos, qui vel cogunt, vel prohibent filios ſuos religionis ſtatum amplecti, videntur paſſim, qui abutuntur timore, atque reverentia, quam natura animis eorum inſeruit, ut parentum ſalutaribus monitis illos dociles redderet. Abutuntur, inquam, ut adoleſcentibus timorem incutiant, eoſque cogant illud vitæ genus ingredi, quo a divina providentia non vocantur... Ad examen non revoco, quid in judicio Dei reſpondere poterunt, cum adeo impiæ prævaricationis nomine inſimulabuntur: non cogito, quid filii in æternum exprobraturi ſint illis, quod cauſa extiterint damnationis ipſorum, ac eum in ſtatum adduxerint, ubi ſalvi fieri vix poſſent; neque immoror illis ob oculos repræſentans omnem hujus tyrannidis enormitatem, quam exercent in eos, erga quos natura ipſis amoris dumtaxat, & benevolentiæ ſenſus immiſerat; hinc ſolum argumentor maxime arduum eſſe non errare, cum de vitæ ſtatu eligendo deliberatur, & nihil ibi facilius eſſe, quam falli. *Idem.*

Curæ illorũ, qui non vocati ſtatum aliquem ingrediuntur.

Quam amaris torquentur ſtimulis hæ conſcientiæ vocationi ſuæ infideles, quæ juſto Dei judicio ſeſe horribilibus tradunt ſollicitudinibus? Ab uno ad alterum ſtatum migrant, ſingula profeſſionum genera ſcrutantur, & nulli adhærent; moroſitatem ſuam per omnes vitæ conditiones ſecum trahunt, & ubique emendicant requiem, quam ſola divinis præceptis obedientia illis poteſt elargiri. Non ita accidit illis, qui legitima vocatione ſeſe auſteriſſimis vitæ officiis implicuerunt. Verum eſt ipſos ibi crucem ſuam invenire, ſed non deeſt illis magna ſolatii cauſa, ipſæ etiam ſeveriſſimarum religionum auſteritates huic ſolidæ oblectationi

admix-

admixtæ ſunt, quod in hoc Dei mandatis obediunt. Tu Domine, in has me ærumnas conjeciſti; tu me in ſtatum hunc impuliſti; nonquam de viribus meis tantum præſumpſiſſem; & nonniſi poſt exploratam infirmitatem meam conſilium adeo arduum, ac difficile cœpi: tuum igitur eſt illud, quod incœpiſti, opus perficere. *Idem.*

Ubi ſemel perturbatus fuit ordo providentiæ, vix fieri poteſt, ut ſalutem conſequamur; & ratio eſt, quod nobiſmet auferimus quamplurimas gratias, quas adnectere placuerat Deus ſtatui, quem nobis deſtinaverat; & quod eadem ſubſidia, quæ nobis adhuc tribuit, plerumque ſterilia fiunt, & effectu carent, quia non ſumus in felicibus illis circumſtantiis, in quibus gratia de obicibus omnibus triumphaſſet ..... Deus Dominus eſt, & a Domino imperia expectanda ſunt, ut omnia e voto contingant. Nonne hoc ipſum facere conſuevimus cum iis, qui pendent a nobis, qui cum eouſque ſe mancipant, ut ſibi ad arbitrium fortunam comparare velint, nonne illos in ipſorum deſideria tradere conſuevimus! Si voluiſſet ille, dicimus, ſequi conſilium meum, ego illi ſatis, ſuperque conſuluiſſem; non deerat mihi voluntas, quæ illi comperta non erat; per gradus eum ad hoc uſque faſtigium perduxiſſem, & dummodo mihi non fuiſſet adverſatus, jamjam ſe opibus, honoribuſque auctum videret. Sed aliis aſſenſus eſt, cum aliis neceſſitudinem junxit, ſeſe ad arbitrium alio convertit; ſuum erit ſibi proſpicere. Si conſilia mea ſecutus fuiſſet, omnem illius gloriam, & utilitatem duxiſſem meam, omnique eum negotio liberaſſem. Quomodo vero hujuſmodi periculis evaſurus ſit, ipſi ſpectabimus. *Idem.*

Deus non eſt amplius dux noſter, cum regimē illius detrectamus.

Heu! Fideles, fortuna noſtra in manibus Dei eſt: ſed quænam fortuna, ut illam aliis, quam amantiſſimo huic patrono committere audeamus? Quis melius ipſo novit viam, qua nobis in cœlum eundum eſt? Quis æqu ora, tutioraque nobis præbere poteſt conſilia? Nonne præclare nobiſcum agitur, cum ipſe dux noſter eſſe dignetur? At ſi eum ſemel ducem detrectare audemus, ne expectemus amplius hæc peculiaria ſubſidia: ille non amplius nos regit, ſed ipſi cæcorum inſtar incedimus. Pro nobis generalis tantum eſt providentia, quæ adhuc opem ferat; ſunt adhuc inſignis bonitatis reliquiæ: verum triſtes ſunt, languidæque reliquiæ, quæ poſſunt quidem ſalvos nos facere, ſed quæ ſecundum omnem veritatis ſpeciem nos ſalvos minime facient. *Idem.*

Momentum gratiæ vocationis.

Chriſtianiſmi gratia gratiarum omnium prima eſt, ſed nequaquam hæc ſola eſt, quæ magni ſit momenti; altera eſt non minoris facienda; videlicet ut ſtatim ac per ætatem nobis integrum ſit, illud vitæ genus amplectamur, ubi tuto moremur, & quod, ut S. Auguſtinus inquit, omnium motuum noſtrorum centrum ſit, atque principium. *Omnis motus noſtri centrum vocatio.* Et patet ratio; quia licet indiſcriminatim quodlibet ſtatuum genus amplecti poſſimus, certum eſt tamen, non ubique eadem inveniri bona, eademque ſecuritatis, & facilitatis privilegia. Quemadmodum in propemodum infinito diſcrimine conditiones ſunt, ita pro infinita perſonarum differentia factæ ſunt; & ex tanto numero ſæpe una tantum illa eſt, quam poſſumus adimplere. Vita mundi theatrum eſt, ubi quilibet ſuam gerit perſonam; & aliam ab hac gerere, Sanctus Auguſtinus ait, idem eſſet ac univerſorum pulchritudinem invertere, ac deformare. Hinc utilis eſt religioni, qui foro ineptus eſt; ille bonus eſt judex, qui malus eſt imperator; & hic turpis eſt aulicus, qui optimus eſſet magiſtratus. *Pater de la Rue in ſermonibus editis ſub ejus nomine, pro feria quarta hebdomadæ ſecundæ in Quadrageſima.*

In dubium revocari nullo modo poteſt, nihil in mundo nobis antiquius eſſe debere, quam magna cum prudentia vitæ ſtatum eligere. Hoc poſito inferendum eſt, ut tuta ſit electio, Deum eſſe conſulendum, & conſilio ejuſdem parendum; ſæpe enim in humanis hominum prudentia, & prudentia chriſtiana non eadem habent conſilia. Chriſtiana quippe omnia ſemper ad ſupremum refert bonum, reſpicitque finem, quem ſibi proponit; humana vero perfunctoriam tantummodo reſpicit utilitatem neglecto primo, veroque bono æterna videlicet felicitate. *Idem.*

Nihil nobis e voto contingere poteſt, niſi Deus auctor extiterit.

Hanc vitæ rationem ingrederis, hoc, vel illud munus obeundum amplecteris; verum antequam illud amplecteris, Deumne conſuluiſti? cum illo ne deliberaſti? Si hæc vera ſunt, omnia tibi in tuto ſunt, atque in ſapientia illius requieſcere debes; Sin autem prudentiam, ſapientiamque tuam tantummodo conſuluiſti, vel potius ingenium, atque cupiditatem tuam, omnia tibi hac in re metuenda ſunt, operamque ludes; etenim quemadmodum negotium illud, quod Deo auctore, atque hortatore ſuſceptum eſt, nonniſi e ſententia contingere poteſt, ne putes feliciter illud ceſſurum tibi, in quo tuam tantummodo cupiditatem ſecutus es ducem. Jure tunc Deus detrectare poteſt auxilium ſuum, teque cum his verbis dimittere; Abi; auſus es incipere me inconſulto; me etiam non adjutore perficere poteris. Beatus igitur ille, qui antequam vocationis electionem inſtituat, cum Deo, quid ſibi ſit faciendum, deliberat. Beatus ille, qui ut olim Salomon dixit Deo; *Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem Sapientiam.* Sap. 9. Da mihi, Domine, ſapientiam tuam, ut me ſemper comitetur, mecumque ſemper laboret. *Idem.*

In tanti momenti negotio aliū quilibet præter Deum conſulimus.

Externæ dumtaxat diſpoſitiones conſuluntur; hoc eſt, plerique hominum in id tantum incumbunt, ut honorem hunc, vel bonum illud conſequantur; utrum vero illum rite exercere, aut hoc bene uti poterint, minime quærunt. Ad examen vocant, utrum ſatis gratiæ, ac neceſſitudinis ſibi ſit ad eccleſiaſtica beneficia acquirenda; utrum vero ſatis futurum ſit conſtantiæ, ut hoc in ſtatu Deo fideles exiſtant, non cogitant. Conſiderant quidem, utrum ex conjugio, quod inituri ſunt, magna ſibi ceſſura utilitas ſit; utrum vero ſatis ſibi vocationis ſit ad ſtatus hujus munera ſuſtinenda, non laborant. Verbo; in mundi negotiis, ſatis ea quæruntur, quæ ab hominibus pendent; Deum vero conſulere non quærunt. Interim; o miram dementiam! putant electionem ſuam, Dei quoque futuram, & ad ſalutem operandam non defuturam ſibi peculiarem Dei gratiam, quæ nobis opem præbebit; Id genus homines ſine Dei gratia ſtatum ingrediuntur; ideo aberrant, ac ibi ſuam inveniunt damnationem, ubi ſalutem ſuam ſe invenire putant; neque enim vitæ ſtatus ſalvos nos facit, ſed fidelitas, qua perfungimur officiis ſtatui huic inhærentibus. *Idem.*

Nunquā cogitamus, utrum ſatis virium nobis ſit, ut ſuſcepti ſtatus perfungamur officiis.

Hoc quotidie accidit, & vulgatiſſima totius mundi experientia probatur; ſed heu! nemo ſuos mores, ſenſuſque regit. Deliberatur ſæpe, utrum ſtatus aliquis amplectendus ſit, utrum belli, an domi reipublicæ ſit inſerviendum? verum nunquam cogitatur, quid ferre recuſent, quid valeant humeri, & utrum ea adſit induſtria ſuſceptæ provinciæ officiis obeundis, atque periculis ſuſtinendis par? Quid! Vultis, quod non poteſtis? Vultis hanc obtinere provinciam, eaque vobis nimis eſt ardua; conſequi vultis hoc beneficium, & hoc beneficium cauſa erit interitus veſtri; in hac conditione diteſcere vultis, & divitiæ iſtæ certiſſime vobis erunt funeſtæ. Hoc tamen recta judicii lance perpendere detrectatis. Hic ſe in tuto eſſe arbitratur, ac certam habere credit vocationem, cum putat ſe poſſe hos honores appetere, & has poſſidere divitias. At ne fallamini; bipalmaris hic error eſt; non magis vocati eſtis, quam cæteri homines, neque vos potius, quam illi eſtis electi, ut primas ſedes teneatis, atque præcipuis hujuſmodi honoribus decoremini. Nonne in omnibus dignitatibus diverſa requiruntur talenta, quæ ab hominibus exigit Deus, ubi hos deſtinat illis? Videte, utrum talenta hæc poſſideatis, veſtrum eſt vires veſtras conſulere, non ambitionem veſtram, quæ ſupra totius mundi caput ſeſe attollere cupit. *Idem.*

Fere ſemper ſtatum mutare vellemus, ideoque mobiles, & inconſtantes ſumus: ſed ideo mutare vellemus, quia eo in loco, in quo ſumus, non ſatis ex animo fluere nobis omnia videntur, & quia in alio e ſententia nobis omnia facilius ceſſura ſperamus; & hoc nobis ambitio, atque ſuperbia ſuggerunt. Credimus nos male collocatos eſſe; atque ideo omni niſu contendimus, ut e loco egrediamur. Putamus nos, ubi primum protulerimus gradum, voti compotes futuros, quia in hoc, ut nobis videtur, exiguam fortunam noſtram collocamus; cupiditas noſtra ſemper inexplebilis eſt, gradatim aſcendit, ac de officio ad officium adducit. Cæci proprio amore, quo fallimur, noſmet ſemper reſpicimus tanquam intra nimis anguſtos fines coarctatos; & quin perpendamus, quod tot mortales, qui infra nos ſunt, beatos ſe ducerent, ſi eas obtinerent ſedes, quas ipſi reliquimus, invidemus illis, qui ſublimiora tenent faſtigia, ac præcipiti ſuperbiæ noſtræ motu, ſine vocatione, & inconſulto Deo illuc conamur aſcendere. *Ex ſermonibus moralibus, ſermone de providentia.*

Dei eſt efficere, ut conſultamus viam, qua nos deducere vult.

Ille unus, qui vires noſtras novit, qui renes noſtros ſcrutatur, & corda, & qui re adhuc integra ſingulis noſtrum oſtendit viam, per quam nos deducere vult, unus, inquam, nobis inſpirare debet electionem a nobis faciendam. Quemadmodum Deus in æternis conſiliis ſuis nobis præparavit media apta, ac neceſſaria, ut ad finem noſtrum perveniremus; ita ille unus a nobis conſulendus eſt, cum primum proferimus pedem, ut illum aſſequamur. Quippe omnes hæ cupiditatis, voluptatis, fortunæ, affectionum cauſæ, omnes iſtæ generis, dignitatis, ingenii circumſtantiæ, quæ ut plurimum meliorem obtinent in eligendo vitæ ſtatu partem, fallaces ſunt duces, qui nos ſeducunt, efficiuntque, ut fere ſemper aberremus. *P. Maſſillon ſermone hujus argumenti pro feria quarta poſt alteram Quadrageſimæ Dominicam.*

Ob quæ periculum eſt, cum in ſtatus electione Dei voluntatem non ſequimur.

Omnia periculis plena ſunt illis, qui in ſtatus electione Dei voluntatem non ſequuntur; dum e contra omnia tuta ſit illis, qui ſtatum ſibi a Domino prænotatum ingrediuntur. Volebat Dominus vos aliam ſequi viam, vos autem aliam eſtis ſecuti; vobis præparaverat gratias, ut eo in ſtatu, quem indigitabat, vos tueretur, quas tamen vobis negat in eo, quem ipſi ultro accepiſtis; illac vos ad ſalutem ſtudebat adducere, vos autem inde receſſiſtis; vobis quoddam immiſerat virtutis ſtudium, cor terrenis rebus vacuum, ſpiritum ſimplicem, & inanis gloriæ inimicum; hæc omnia oſtendebant, vos ab illo altarium miniſterio deſtinari, ac receſſum veſtrum eſſe locum. Attamen vos in mundo eum ingreſſi eſtis vitæ ſtatum, qui circumundique tumultu refertus eſt. Quos ibi ſaluti veſtræ obices invenitis? quænam intereundi pericula? *Idem.*

Propter defectum gratiarum, quas Deo placuerat adnectere cuilibet ſtatui, quem per ſanctam vocationem ingredimur, hodie ſtatuum omnium corruptio, ac perturbatio videtur, ideo ſacerdotium non eſt amplius fere, quam mollitiei, & avaritiæ illecebra; juſtitiæ tribunalia, ſedes iniquitatis; dignitates ſuperbiæ, & vanitatis incitamentum. Si in paſtorum es numero, es mercenarius; ſi ad dignitates eveheris, es ambitioſus; ſi publicus homo es, ac pro tribunali ſedes in Dei locum laturus judicium, te falli, & corrumpi ſinis. Si ultro te ſacris immiſcuiſti officiis, ad quæ Deus unus te evocare debebat, nequaquam ſacerdotii gratiam recipies, ut digne ſtatus tui munere perfungaris . . . Miramur, primorum fidelium mores adeo degeneraſſe; quærimus quotidie, undenam ſæculum, quo vivimus, tam longe a patrum noſtrorum ſæculis diſcrepet; quærimus, undenam homo Dei cultui mancipatus ita Deum ſuum dereliquerit. Ratio eſt, quia nemo ferme eo eſt in loco, quem ipſi deſtinaverat Deus; cumque omnes nobis ad arbitrium vitæ ſtatum elegerimus, ille nos ſinit in remotiſſimis viis aberrare. *Idem.*

Sæpe inconſulto vitæ ſtatum eligimus.

Sæpe vitæ ſtatus non per prudentiam, ſed per occaſionem, ac fortuito eligitur. Dignitas, quæ alicui familiæ eſt propria, & quæ inde jamjam migratura videtur, parentes cogit, ut eamdem puero conferant, qui eidem eſt impar. Hæreditas, quæ præter ſpem, atque opinionem accidit, efficit, ut ſtatus, & voluntas mutetur; primogeniti mors de natu minoris ſorte decidit; vocatio ad eccleſiarum ſtatum mutatur, prout occaſiones mundi mutari videntur; ipſæ etiam familiaritates, ac neceſſitudines pro bona, vel adverſa amicorum fortuna variantur. Denique ex omnibus electionibus nulla eſt, ubi prudentia minorem ſibi vindicet partem, quam ſtatus electio . . . . Ita verum eſt dicere, naturæ, non gratiæ ordinem de ea electione decidere, quæ ab uno Deo pendere videtur. Ubi ſtatus eligendus eſt, natura ſolum, vel fortuna conſulitur; videtur nullam ibi partem habere Deus, omniſque vocatio conſtituenda eſſe in eventibus illis, qui pendent a ſorte; ille, qui primus natus eſt, jus habere ad reliquorum fratrum bona: ille, qui natus eſt pauper, vel cum aliquo corporis vitio in lucem editus eſt, jus habere ad eccleſiam . . . Fateor equidem Salvatorem aliquando his uti mediis, ut ad ſe nos trahat, & has generis, bonorumque fortunæ diſpoſitiones adorabilia eſſe conſilia, quibus utitur, ut nobis faciliorem præbeat electionem ſtatus, ad quem nos deſtinavit; ſed hæc regula non eſt univerſalis. Dominus vocationis gratiam non generi, vel fortunæ adnectit; neque ſanctam illius voluntatem conſuluiſſe dicendus eſt, qui ſecundum alterutrius eventum ſibi ſtatum elegit. *Idem.*

Pergunt cauſæ malæ electionis ſtatus.

Nemo in ſtatus ſui electione proprium cor, & captum conſulit, omnes ſequuntur torrentem, qui ætate adhuc tenera illos extrinſecus rapit. Tanquam lex habetur, eos ſequi, qui nitent in mundo; jugulantur naturales quædam repugnantiæ, quas pro vocationis defectu aliquo in ſtatu interpretari deberemus. Pater, ac mater familias pro filio, quem chariſſimum habent, reliquam ſacrificant familiam, utque ex eo idolum faciant, cui mundi cultores honorem adhibeant, reliquos omnes in obſcuros ſtatus conjiciunt, ubi ab omnibus ignorentur; quidquid in filiis habent magis excultum, perfectumque, hoc mundo devovent; imperfectiſſimum vero, ac ſtolidiſſimum quodvis in clauſtra rejiciunt. Denique dummodo illi, quos in mundi lucem, & ad fortunæ, dignitatiſque faſtigium contendunt evehere, ab aliis in honore, & pretio habeantur, haud in magno habent diſcrimine, utrum alii ſecretas effundant lacrymas in iis latebris, in quibus eos abdiderunt. *Idem.*

Humani reſpectus plerumque hominum vocationi calculum addunt.

Humani reſpectus fere ſemper hominibus de ſtatus electione deliberantibus momentum addunt. Inde tot abuſus in magiſtratibus, tot divortia in conjugiis, tot faſtidia in ſolitudine, tot moroſitates in rei domeſticæ cura, tot injuſtitiæ in negotiis, tot ſcandala in eccleſia. Hinc mæret quiſque fortunæ ſuæ invideri videns, & ipſe invidet alienæ; nemo enim ſua ſorte contentus eſt, & aliorum conditionem ſua ſemper beatiorem exiſtimat. Quæ dementia eſt non omnes adhibere curas, & eam, quæ ſumma poteſt eſſe prudentia, ea in re, in qua, ſi tibi fucum fieri ſinis, omnia fiunt inutilia? Et quis Dei voluntatem non conſulere poteſt pro ea via, quæ una ad ſalutem adducit? *Idem.*

Poſt pravam electionem deſperandum non eſt; reparari enim malum poteſt.

Niſi præfuit Dominus electioni, quam ipſe feciſti, ſors quidem tua lacrymabilis eſt, non ideo tamen ſpes omnis eſt abjicienda; es quidem extra viam ſalvari cupientibus præſcriptam; illuc tamen reverti potes; donec te pœnitere potes, ſperari potes: attolle vocem tuam ſicut Propheta, qui cum aliam ingreſſus eſſet viam ab ea, quam illi præceperat Deus, temeritatis ſuæ digniſſimas luit pœnas; & ex abyſſi tuæ profundo cum eodem, in ceti ventre inter fluctus, & in periculorum omnium maximo poſitus dic: Domine! licet injuſta electio viæ, quæ oppoſita eſt tuæ, me in profundum uſque abyſſi præcipitem dederit, ad te tamen vocem attollo miſericordiam tuam exoraturus: *De ventre inferi clamavi, & exaudiſti vocem meam . . . Verumtamen rurſus videbo templum tuum.* Jonæ 2. Ita Domine, tot licet adverſentur pericula ſtatus hujus, quem te inconſulto elegi, ſpero adhuc mihi aliquando non defuturum ſolatium iterum videndi templum ſanctum tuum cum filiis Iſrael. *Idem.*

Homo non vult parere Deo, & vult ſuis juris eſſe.

Ideo omnes fere mortales in via ſalutis, & vocatione Domini deerrant, quia cum agitur de vitæ genere conſtituendo, nemo vult a Deo pendere, nemo illum conſulit, nemo illum audit. Audiunt omnes arbitrium, libidinemque ſuam, audiunt ſuam cupiditatem, audiunt parentes ſuos; Deus unus neque auditur, neque conſulitur. Fidelium plerique eos imitantur, qui aquis innatant; non ambulant, ſed feruntur; ex libidine, vel per occaſionem primo adhæreſcunt ſtatui, qui eorum palpat affectus. Jure quidem hoc illis exprobrare poſſet Deus; *Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia; utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent!* Deuter. 32. Si noſſe cupis, undenam proficiſcatur tantum amaritudinis, ac moleſtiæ, quantum huic vitæ immixtum eſt; ſi noſſe cupis undenam fiat, quod tot mortales mœrore tabeſcant iis in conditionibus, quæ illos ſecundum mundum beatos deberent efficere; hæc profecto cauſa eſt, quia cum de vitæ ſtatu eligendo ſermo eſt, quiſque ſequitur ingenium ſuum, quin Domini vocem audiat. Alii juventutis æſtu acti ſequuntur arma, alii temere ſe mundo commiſcent cæce reſiſtentes voci, qua ad religionis ſtatum vocantur; alii per indignationem & ſtomachum religioni ſe addicunt. Denique nemo fere eſt, cui munus ſuum obeunti Deus, & ſalus ſua verſentur ab oculos. *Specimen ſermonum pro Quadrag. pro feria 4. poſt paſſionis Dominicam.*

Vocatio neceſſaria eſt, ut in ſtatu ſuſcepto omnia nobis e voto cedant.

Vocatio omnino neceſſaria eſt, ut quilibet in ſtatu ſuo bene, & feliciter operetur . . . Cur in familiis tot videntur ærumnæ; undenam magna hæc ambitionis conſilia in irritum abeunt, ſtatim ac prodire inceperunt? Deus hæc omnia diſſipat conſilia, omnia hæc lutea evertit ædificia, quæ ſtabili ſanctæ vocationis petræ non innituntur. Per libidinis, fortunæ, ambitionis, cupiditatis vocationes hujuſmodi conſilia ſuſcipiunt; ideoque mali eventus, qui ea ſubſequuntur, corruptis reſpondent rationibus, quæ eorumdem principium fuerunt . . . . Heu! quinam ſiccis oculis intueri poteſt cæcam adoleſcentiam, quæ temere ſeſe præcipitem agit? alii quidem in arma

arma ruunt cupiditatum æſtu compulſi, vel aliorum exemplis acti, vel temporum occaſione commoti: alii ſeſe implicant conjugiis male conſociatis ob rationes prorſus carnales, & affectiones omnino profanas: alii rempublicam capeſſunt, quin oneri ferendo ſint pares atque de civium vita, honore, opibuſque judicium ferre audent, cum ne ſatis quidem luminis habeant, quo ſeipſos regant. Iſtos autem hoc in munere proſperos exitus habere poſſe quis dicat? proſperos autem propter ſalutem, & publicam utilitatem. *Specimen ſermonum pro Dominicis, ſermone pro ſecunda poſt Epiphaniam Dominica.*

Præſertim in vocatione ad vitæ ſtatum homines Deo, & providentiæ ſubjecti eſſe debent.

Non latet nihil in vita vel pro tempore, vel pro æternitate majoris eſſe momenti, quam ſtatus electionem; Sapientiam divinam exercere debere abſolutum imperium in humanam rationem, ut regat vocationem; ac in hac potiſſimum occaſione Deum ſibi ſuo jure vindicare poteſtatis, ac roboris ſuperioritatem ad infringendos obices omnes, & evertenda fallacia conſilia, quæ prudentia carnis, & corrupta natura conſiliis ipſius poſſunt opponere: *Mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo*, Proverb. 8. Attamen nil conſulitur præter politicas rationes, genus, familiarum officia, cauſas mere humanas ea in re, ubi Deus unus in conſilium vocandus eſt, *Ibidem*.

Nemo unus ignorat ſatis non eſſe, quod vocatio noſtra a Deo proficiſcatur, ſed omnia illius officia fideliter eſſe obeunda. Judas infelix ab eodem Jeſu Chriſto ad apoſtolatum vocatus fuerat; ſed cum per nequitiam miniſterium ſuum prodidiſſet, ex via prædeſtinationis in reprobationis abyſſum lapſus eſt. Hac autem in re homines ſibi præſertim blandiuntur, atque ſe ipſos excæcare gaudent; ſatis eſſe putant quædam ex officiis ſuis obire, a quibus minus abhorrent, & negligant alia. Attamen ſatis non eſt in vocatione ſua operari: tanta, quanta eſt miniſterii ejuſdem magnitudo, eſt obeunda, quemadmodum Apoſtolus explicite præcipit. Væ mihi niſi ſecundum vocationem meam evangelium prædicavero, ſed væ item mihi, ſi concionatoris munere perſunctus Sacerdotis officium neglexero. Væ vobis, magiſtratus, ſi charitatem exercentes obliviſcimini juſtitiæ. Væ tibi chriſtiana mulier, ſi pietatis exercitiis vacatura familiæ tuæ negligis curam. In hac generali fidelitate officiorum ſtatus ſui cujuſque vera devotio conſiſtit. Cogita indeſinenter, Apoſtolus inquit, quid in miniſterio tuo a te exigat Deus, & pro virili eodem perfungere: *Vide miniſterium quod accepiſti, ut illud impleas*... ad Coloſſ. 4. *Ibidem*.

Metuendum eſt, an eam ingrediamur vocationem, ad quam vocati ſumus.

Nulla in religione veritas eſt, quæ majorem nobis terrorem valeat immittere, quam veritas vocationis; etenim in manifeſto pereundi verſamur diſcrimine, cum eos ingredimur ſtatus, ad quos non vocamur; tandem enim illius officia adimplere non poſſumus ſine particularibus gratiis, quas non largitur Deus illis, qui contra providentiæ ipſius imperia ſtatum aliquem ingreſſi ſunt. Equidem ſcio non deeſſe in divinæ miſericordiæ theſauris damni ſarciendi rationes, & vocationis noſtræ errorem lacrymis proſequentes illum corrigere nos poſſemus, ac reparare primorum annorum vitia, ſi extremis fervor augeatur. Quemadmodum enim non deſunt, qui damnentur eo in ſtatu, ad quem a Deo fuerant vocati, quod exemplo ſuo Judas oſtendit, fieri poteſt, ut aliqui ſalventur, cum ſemel ex vocationis ſuæ ordine egreſſi in illum redeunt per pœnitentiam: ſed prodigium eſt æque rarum, ac admirabile. *Ibidem*.

Ad Deum ſpectat nobis ſtatum vitæ præſcribere.

Nil utilius, ſimulque nil æquius eſt, quam vitæ ſtatum per Dei vocationem ingredi, ac illud vitæ genus eligere, cui nos providentia deſtinavit. Univerſus terrarum orbis, ut ita dicam, eſt domus Dei, omnes homines illius familiam conſtituunt, ubi ſunt tanquam famuli, & filii. Parentis, ac domini eſt cuique locum tribuere. Deus pater eſt, Deus dominus eſt infinite ſapiens, atque ita ſcit, quid quemque deceat: ſed non minus bonus, quam ſapiens eſt, ideoque nonniſi optime nos collocare poterit, ſi noſmet conſilio ipſius tradiderimus. At hominum plerique hoc minime faciunt, forte, cupiditate, libidine, avaritiæ vel ambitionis ſpiritu ducuntur, atque inordinatis acti principiis ſtatum ingrediuntur. Poſſuntne non errare duces adeo malos ſecuti? Sed heu! Vix errare poſſent, niſi ut in præceps ruant. Si nil facilius eſt, quam illuc ruere, nil ſane, quam inde evadere, eſt difficilius. *P. Nepveu in chriſtianis conſiderationibus tomo 5.*

Funeſti exitus malæ ſtatus electionis.

Erroris hujus exitus funeſti ſunt; ex quo erratum eſt, pes non profertur, quin recedatur a termino. Ex quo non es in aliquo ſtatu per vocationem Dei, neque eo es in loco, quem tibi providentia conſtituit, nihil tibi cedit e ſententia. Contulerat nobis Deus qualitates, atque talenta ei vitæ generi, ad quod nos evocabat, appoſita; ſi in illud eſſemus ingreſſi, vix fieri poterat, ut his præditi adminiculis ſalutem non operaremur. Aliam ſecuti ſumus viam; illam ingreſſi ſumus vitæ rationem, cui Deus nos minime deſtinabat, quia non ſatis eidem pares eramus; num mirum eſſe debet, ſi male ejuſdem munera adimplemus, ſi nihil nobis accidit ex ſententia? Verum nonne ex Deo, ejuſque benedictione, & operum noſtrorum felix exitus, & vitæ noſtræ pendet beatitudo? Miramur, hominem ſummo ingenio præditum, ac tot a natura privilegiis donatum hoc in munere ægre votorum ſuorum ſummam conſequi, ac videre conſilia ſua everſa, dirutamque fortunam. Videbatur ille quidem poſſidere omnia, quæ erant neceſſaria, ut cœptis ſuis exitus reſponderet; nihil illi deerat præterquam Domini benedictio; quæ una cauſa fuit, ut omnia in irritum cederent. Sed cur non benedixit illi Deus? Quia ille in hunc ſtatum, ac munus Deo inconſulto, & ab eo non vocatus ingreſſus eſt. Luxatum os, & extra locum ſuum poſitum, plurimum patiatur. Ita homo, qui non eum obtinet locum, qui ipſi a divina providentia conſtitutus fuerat, curis, mæroribuſque conficitur, plurimum ille quidem patitur, & in cauſa eſt, propter quem alii etiam patiuntur. Nonne ideo tam pauci in ſtatu ſuo voti compotes inveniuntur? Nonne hæc fortaſſe eſt veſtrarum curarum origo? *Idem*.

Omnia conjurare videntur, ut nos in ſtatus, & conditionis electione excæcent.

Nihil eſt difficilius, quam cognoſcere vocationem Dei ad eum ſtatum, qui nobis eſt amplectendus. Amor proprius, ſtudium illud, quo voluptates, honoreſque appetimus, obſequium erga amicos, benevolentia, gratitudo, ipſaque etiam, quam parentibus debemus, obedientia, mundi præjudicia, officia quædam conditioni, generique noſtro inhærentia, libertatis amor, ipſa denique natura, & ratio, ſed natura quidem corrupta, ratio vero decepta conjuraſſe videntur, ut oculis noſtris velum obtenderent, quod omnia lumina, quæ nobis offundit Deus, ut ſuam de ſtatu noſtro voluntatem intelligamus, penetrare nequaquam poſſe videntur. Verum quomodonam Dominus velum velit auferre, quandoquidem illi, qui illud ſibi obtenderunt, ut excæcarentur, ſuam amant cæcitatem, ac lumen reformidant, ne per hoc agnoſcere teneantur voluntatem Dei, cui nolunt adhærere? *Idem*.

Ad Deum ſpectat nobis ſuam aperire voluntatem de ſtatus electione, ad nos vero eam ſequi.

Deus a nobis præcipue conſulendus eſt, ut voluntates ejus agnoſcamus. Quis melius eas nobis, ſi voluerit, poteſt aperire? Quomodo autem minime velit? Si jubet nos illis adhærere, ſimul etiam ſibi neceſſitatem injicit illas nobis oſtendendi. Quomodo enim cogi poſſum, ut Dei voluntatem ſequar, niſi mihi lumen largiatur Deus, ut illam cognoſcam? Spopondit ille quidem illud ſe nobis traditurum, ſed hoc a nobis depoſci jubet. Illi ergo ſæpe cum S. Paulo dicamus: *Domine quid me vis facere*. Actor. 9. cum Samuele: *loquere, Domine, quia audit ſervus tuus*. 1. Reg. 3. vel denique cum David: *Notam fac mihi viam, per quam ambulem*. Pſalm. 142. Si enixe, conſtanterque lumina illius flagitaremus, credimuſne ipſum ea nobis eſſe negaturum, ipſum, qui illa quotidie communicat tot peccatoribus, qui iiſdem reſiſtunt? Toties locutus eſt, cum illum audire noluimus; tacebit autem modo, cum ſincero acti deſiderio cognoſcendi, ac ſequendi voluntatem ejus noſmet voci illius præbemus attentos? Si hoc faceret, nonne illius fides, ac providentia deeſſe videretur?... Cum Deus non aperit nobis voluntatem ſuam ita palam, atque perſpicue, vult nos ad illos confugere, qui illius obtinent locum, videlicet ad animæ noſtræ directores. *Idem*.

Undenam fit, ut in hodierna die adeo pauci Chriſtiani ſint in via ſalutis; vel hoc poſito, quod in ea ſint, adeo pauci in hac via progrediantur, atque inſignes faciant progreſſus? Quia videlicet nemo ferme eſt in eo vitæ ſtatu, in quo illum eſſe volebat Deus; vel non fungitur officio ſtatus illius, in quo Deus illum conſtituit. Quilibet ad arbitrium ſuum vult vitam inſtituere. Qui ſeorſim vitam ducere profitentur, vel mundum omnem domum ſuam accerſunt, vel ipſi mundum conveniunt ſpecioſos titulos prætexendo, qui ad laborem vocati ſunt, contemplationi vacare cupiunt, ac ignaviam ſuam ſibi vertunt pietati. Vellemus id eſſe, quod minime ſumus, neque laborem impendimus, ut bene ſimus, quod ſumus.

In-

Interim non ſiunt opera bona, inania dumtaxat foventur deſideria, & in vana commentitiæ perfectionis perquiſitione perfectio proprii ſtatus amittitur. *Flechier, in panegirico S. Joſeph*.

Obices, quos parentes ſtatuunt vocationi filiorum ſuorum.

Quinam obices non ſtatuuntur vocationi ejus filii, cui cœli gratiæ, vel bonæ inſtitutionis ſemina aliquod receſſus deſiderium immiſerunt? Quæ non adhibentur artes, ut in mundo retineatur, atque Dei conſilia infringantur, cum caro, & ſanguis pro illo vitæ, fortunæque ſtatum elegerunt? Quæ non effunduntur lacrymæ ſuper creaturas eas, quæ diliguntur, cum Deus evocat illas ad ſanctæ domus requiem, ut a vitæ mundanæ, ac tumultuoſæ turbis liberentur? Pro nobis, ac pro mundo ſervare volumus, quidquid nobis chariſſimum eſt, quod amamus, & habemus in pretio, ac Deo invito dare vellemus, quod non amamus, & quod tanquam familiæ noſtræ grave, & oneroſum exiſtimatur. Eſtne filius aliquis mente carens, & illiberalis, qui nequaquam reſpondit deſiderio, quod fovemus, domeſticam gloriam augendi, quæ noſtrum idolum eſt? Jam religioni, & eccleſiæ deſtinatur; callide nonnunquam, aliquando etiam non diſſimulate illi ſignificatur, hanc unam illi vitæ conditionem ſupereſſe: mundum illis egere, qui eximium corpus, ac ingenium ſortiti ſunt; opus eſſe, ut & ille aliquid conferat dignitati fratris ſui, qui domeſticæ gloriæ, atque utilitati optime conſulturus eſt. Nihil inauſum, ac intentatum relinquitur, ut infelix ille bonis ſuis cedere cogatur, utque in Jacob, qui diligitur, primogeniti jura transferantur ab Eſau, qui non amatur. *Idem in Panegyrico S. Benedicti*.

Non deſunt parentes, qui de filiorum vocatione, illis invitis diſponunt.

Non deſunt patres, ac matres, qui filiis ſuis religionis aditum intercludunt, quamvis a Domino vocentur; & ſunt alii, qui prorſus oppoſita ratione eos ſin minus invitos, ſaltem non aſſentientes religioni devovent: priores illi Pharaonem imitantur, qui apud ſe Iſraelitas retinere volebat, quamvis Moyſes Dei verbis teſtaretur, hujus voluntatem eſſe, ut egrederentur ex Ægypto ſibi in ſolitudine ſacris operaturi. Nonne hic etiam magno in numero ſunt victimæ? in mundo etiam æque, ac inter clauſtra ſalus acquiri poteſt, & quin Dei voluntati obluctetis, parentum voluntati obſequi potes; & ſi plus periculi in ſæculo eſt, quam in religione, ibi, ſi virtutem tuam tuearis, majorem meritorum copiam potes acquirere. Poſteriores vero imitantur navarchum, & nautas, qui Jonam in mare projecerunt, ſed qui fallaci pietatis ſpecie projecerunt illum, poſtquam ſors cecidit ſuper eum, & quodammodo aſſenſum illius extorſerunt. Pater avarus, ambitioſa mater, iniqua ſuadente prædilectione, metuentes, ut familiæ ſuæ navis naufragium faciat, quippe nimia filiorum frequentia prægravata eſt, ſortem mittunt ſuper illos; cumque illa ceciderit ſuper filiam natu minorem, hanc illi ſacrificant, in illam pravum ingenium ſuum evomunt, ut ſeu per virtutem, ſeu per neceſſitatem, ſeu per obſequium, dicat; video equidem hanc odiorum, & calamitatum procellam propter me obortam eſſe; cujus quandoquidem ipſa extiti cauſa, illius etiam me victimam eſſe opus eſt. Projicite me, crudeles, projicite in mare, non abnuo. *Ex moralibus ſermonibus*.

In electione ſtatus vitæ Chriſtianus ſalutem, atque æternitatem ſuam tantum ſpectare debet.

Si quis ex omnibus hominibus percontaretur, quo vadant, omnes una voce ſe ad mortem atque æternitatem ire profiterentur; in ſingulos greſſus ſe ad terribilem properare terminum, ac neſcire, utrum ubi primum pedem protulerint, illuc perventuri ſint; etenim omnibus hujuſmodi viis hoc eſt commune, quod minime vides utrum prope, vel procul abſis a termino. Sin autem ex eis quæreretur, cur per hanc viam potius, quam per aliam incedant, & cuinam fundamento innitantur ea placita, ad quorum normam ſuam vitam inſtituunt, innoteſceret illos vix ad ea animum advertiſſe: cum primis illorum fulgoribus capti illa amplexati ſunt; regulas, quas ſequuntur, non aliam habere originem, quam conſuetudinem, quam citra quodlibet examen ſecuti ſunt, vel ſermones temere prolatos, quos tanquam totidem principia ſibi adoptarunt. *Specimen Ethicorum in principis inſtitutione*.

Chriſtiano perſuaſum eſſe debet omnibus vitæ hujus rebus nihil ineſſe pretii, meriti, ac bonitatis, niſi quatenus ad Deum nos adducere poſſunt: nullo in diſcrimine habere debet opes, paupertatem, elationem, dejectionem. Oculo eodem ſtatus omnes intuetur, quin in hanc potius, quam in aliam partem inclinet; donec Dei gloria, propriaque ſalute conſulta, alii aliis præferendi, vel gloriæ eidem magis profuturi videantur; eoſque eligit, vel rejicit, prout magis minuſve cenſet utiles, ut per illos cœlum acquirant. Eodem animo affectus eſt, quo viator, qui in plurium viarum capite poſitus omnes nullo habet in diſcrimine, donec ſibi vera oſtendatur, quam ubi cognoverit, reliquis licet florentibus, atque jucundiſſimis minime tangitur. *P. Rapin in libro de ſalutis momento*.

Deus nos ſalvare vult per eum ſtatum ad quem nos vocavit.

Per illud vitæ genus, ad quos nos evocat Deus, vult nos in cœlum perducere; neque illud ſequi vult, qui ſtatum mutare conatur vel ſeſe per ambitionem attollens, vel per inconſtantiam in alium migrare contendens. Cuilibet in ordine ſuo præliandum eſt, ut referat victoriam; egreditur de via, in qua a Deo poſitus fuit, ac deſerit locum, in quo fuit a Deo conſtitutus, qui a ſtatu ſuo recedit. Illud malum eſt, quod nemo ferme vacat ei muneri, quod ſibi proprium eſt, ac nemo fere vivit eo in ſtatu, cui illum deſtinaverat Deus. Totus providentiæ ordo ambitione, cupiditate, hominum inconſtantia ſubvertitur. Hinc Deus nequaquam ſuis benedictionibus proſequitur horum mortalium vitam; magiſtratus, beneficia, dignitates, omniaque fere vitæ miniſteria obtinentur ab illis, quibus nulla eſt vocatio, nulla aptitudo, & qui ad eamdem nonniſi commendatione majorum, pecunia, vel arte ſibi viam faciunt. Hinc tot prodeunt in ſtatibus omnibus mala, tot in commercio infidelitates, tanta inter milites impotentia, tanta in foro injuſtitia, in templis impietas tanta, necnon tanta eccleſiaſticorum bonorum in ſumptus ſuperfluos, in ambitioſa conſilia, in ſuperbas ſervorum catervas, & nonnunquam etiam in uſus longe nocentiores effuſio. *Ex Anonymo Auctore*.

Non minus conſulendus eſt Deus ab iis, qui in mundo permanent, quam ab iis, qui religionem ſunt ingreſſi.

Cur non eadem cura Dei voluntas perquiritur, ut quemcumque vitæ ſtatum amplectamur, qua utimur, ut in religione divino cultui noſmet devoveamus? Agiturne de religioſo ſtatu amplectendo? omnia ad examen vocantur, conſulitur Deus, conſuluntur amici, & parentes hoc quam accuratiſſime conſiderant. Ponderantur cauſæ, & rationes; liquet quem motum, ac pondus reliquo vitæ ſpatio ſtatus electio tribuat, ideoque maturæ deliberationis neceſſitas intelligitur. Tu vero Auditor cum judicis officium ſuſcepiſti, cum iniiſti conjugium, itane tibi præcaviſti?... Sexcenti videntur exercere vectigalia, illos plurimi imitantur; verum itane ſecum, ſatiſne par ſum? ſatiſne diligentiæ, ac ſolertiæ mihi eſt, ut rerum omnium rationes ſupputem; ſatis fidelitatis, ne cor meum ſerviat avaritiæ; ſatis æquitatis ad dolos quoſdam evitandos, qui ſenſim in rem meam aliena bona converterent? Ullane mihi eſt ad furtum impotentiam, ac ſævitiam propenſio? Hoc nullo in diſcrimine ponitur, ſed videtur via ſatis lata, ſatis aperta, ſatiſque tuta, qua brevi ad multas opes aditus pateat. Cum ad juris dicendi munus aggredimur, nunquid melius veræ animi noſtri diſpoſitiones excutiuntur? Cogitamuſne, utrum nobis neceſſaria futura ſit integritas, ne oculos, aureſque adhibeamus muneribus, & ſollicitationibus; utrum tota animi magnitudo, neque imperterrita conſtantia ad tuendam juſtitiam, atque innocentiam contra principum virorum gratiam, minas, impotentiam, inimicitiam? Haud ita profecto, ſed nobili erimus in loco, prima honorum faſtigia obtinebimus, perutilem dignitatem invehemus in familiam, ac in eum ſtatum aſſurgemus, ubi & amicis gratificari, & ab aliis metui poſſimus. Cæterum non deeſt bonus ſenſus; alii peritiores loqui audiuntur; dummodo uſus accedat, & praxis, hoc ſufficit ad magiſtratum magni momenti rite obeundum. *Sermo manuſcriptus*.

Omne vitæ civilis malum eſt, quia nemo ſe intra ſuam continet vocationem.

Si mundi ſtatus rite conſideratus fuerit, liquebit, omnem perturbationem, & omne malum, quod illic videtur, fluere ex violatione, vel contemptu moniti hujus Apoſtoli: *Unuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat*. 1. ad Corinth. Nemo ſua vocatione contentus eſt, neque intra illam ſuas coarctat cupiditates. Quilibet ſe rebus omnibus parem putat, neque curat ſe, intra ea continere, quæ recepit a Deo. Sæculares dignitates ſæpe magna exquirunt talenta, ut rite exerceantur, verum nemo non ad illas, ſi poſſet, ſe attollere conaretur? Ad id propria tantum ambitio conſulitur, vel cupiditas; & homines tunc in inferiori gradu ſubſiſtunt, cum ſe altius evehi nequaquam poſſe conſpiciunt. Hinc liquet, non extremam, quam Deus Chriſtiano in hac vita gratiam conferre poſſit, hanc eſſe, ſi ſuum intelligat locum, & validam foveat in eo permanendi voluntatem. In ſublimi, an humili gradu ſtare, non intereſt magni, dummodo ille ſit noſter;

hu-

humillimus quiſque eſt optimus, quia ventis, atque tempeſtatibus minus patet. Ubi ſemel te in eo conſtituiſti, nihil ultra faciendum eſt tibi, dummodo fideliter gradus illius munere perfungaris. Sed plerique mortales, ut iterum in ordinem redeant, atque in Dei viam revertantur, ſpiritu ſaltem redeant oportet in eum locum, quem Deus ipſis inſpiravit. *Ex ſpecimine Ethicorum.*

Divinæ juſtitiæ effectus eſt, tot in eccleſia videri flagitioſos eccleſiaſticos, tot religioſos nefariam vitam ducentes, tot magiſtratus corruptos. Quemadmodum in ſtatum ſuum ſine Deo ingreſſi ſunt, ibidem ſine Deo vivunt; ac Deo illos cupiditatibus ipſorum tradente, illi ſæpe in turpiſſima quæque flagitia ruunt. Flagitia hæc exprobrantur, honeſti homines illa perhorreſcunt, ſed nemo ſatis curam impendit, ut cauſæ illorum medeatur, videlicet temeritati, qua illi ſtatus hos amplectuntur. Cupiunt profecto patres, quod filii ſui boni ſint eccleſiaſtici, ſed omnino volunt illos eccleſiaſticum ingredi ſtatum, quia domeſticæ utilitatis ratio poſtulat. Eos igitur illuc impellunt, quin niſi per tranſennam dumtaxat ad trutinam vocent, utrum a Deo vocentur; ſi pares illi minus ſunt, futuros tamen ſperant; ſi pleni ſunt amore mundi, ſperant futurum, ut tandem reſipiſcant. Hoc ipſum de reliquis ſtatibus dici poteſt. *Ibidem.*

Pauci in magnis honoribus ſalvantur;

In magnis honoribus, ac dignitatibus pauci ſalvantur, &, ut S. Bernardus ait, hoc Apoſtoli 1. ad Corinth. verbum, *non multi potentes, non multi nobiles, &c.* in ſæculorum omnium decurſu adimpletur. Hoc ſatis eſt, ut velis, remiſque contendere debeamus, ne ex hoc numero ſimus. Hi ſtatus igitur in Chriſtianiſmo ſuſpicione vacare non debent; atque ad eos evitandos longe major adhibenda eſſet cura, quam vulgo adhibetur, ut obtineantur. Sin autem genus ipſum aliquando nos inſerit illis, tamen bonis operibus noſmet ſeparare debemus a communi eorum conſuetudine, qui hujus ſunt conditionis. *Ibidem.*

Verus modus ſecundum Dei ſpiritum in ſtatum, vel conditionem aliquam ingrediendi, poſtquam Dei voluntatem conſulueris (hinc enim ſemper initium petendum eſt,) eſt, Sanctus Bernardus inquit, eos imitari, qui paululum attollunt ab humo ſarcinam humeris ſuis imponendam, ut quid ferre recuſent, quid valeant humeri, explorent. Videlicet prius vires propriæ excutiendæ ſunt, conſiderandum, utrum nobis adſit ſapientia, vigilantia, fidelitas, ſolertia, integritas, & omnia talenta, quæ ſunt neceſſaria, ut digne miniſterio noſtro perfungamur: *Æſtimare opus, metiri vires, ſapientiam ponderare.* Magiſtratum illum aſſequi cupio; verum ſatin' legum peritus ſum, ut jus dicere valeam? ſatin' firmitatis, ac roboris mihi eſt contra conſanguinei, & amici ſollicitationem, & gratiam? Satiſne integer, & omni avaritiæ ſuſpicione vacuus ſuum, ne lucelli fulgor oculos mihi, mentemque perſtringat? Satiſne vigilans, laboriſque patiens? &c. *Ex moralibus ſermonibus.*

Si adoleſcens aliquis conjugio, vel eccleſiæ, togæ, vel ſago admovendus eſt; ſi virgo vel in aſceterio, vel in ſæculo collocanda eſt, filiorum dumtaxat ætas, & naturales corporis, animique qualitates conſuluntur, ut de eorum fato decernatur; neque adnititur quiſpiam cœli explorare nutum; vel nonniſi cum fallacibus principiis oraculum conſulitur. Itaque ad juris dicundi ſubſellia evehuntur homines rudes, ineptique; in eccleſiaſticum ſtatum obtruduntur juvenes non vocati, ac pietate carentes; eorum fortunam patres conſiliis prorſus humanis regunt, propriiſque ſceleribus addunt crimina, quibus ſanctuarium ab indignis miniſtris polluitur. *P. Dozenne in libro, cui titulus Mundus a ſe ipſo damnatus.*

Nemo adnititur labore, & virtute ſupplere defectui vocationis.

Si qui ſeſe immiſcent negotiis, quibus ſatis pares non ſunt, vel vitæ ſtatum amplectuntur, quin a Deo vocentur, adniterentur ſaltem huic defectui ſupplere: ſi iis muneribus, quibus vanitas ſua illos ſubjicit, ſeſe jugi, & conſtanti labore, aſſidua in officiis ſuis cognoſcendis vigilantia, probitate ſumma, ac pietate, quæ reparatrices gratias mereri poteſt, ſeſe diſponerent; hæc vocationis ſupplementa ſin minus eos tutos efficerent, temeritas nihilominus eorum aliquem haberet locum, per quem poſſet excuſari. Sed quas illi ut plurimum diſpoſitiones afferunt? Inordinatam adoleſcentiam, affectiones vividas, ferventeſque, habitus inemendabiles, animam voluptatibus corruptam, cor oblectamentis depravatum, mentem, quam mundi nugæ levem, ineptamque effecerunt. Hac præparatione ſibi ad magiſtratus aperiunt viam, &c. *P. Aurelianenſis ſermone de Annunciatione.*

Rei magnitudo poſtulat, ut Deum de vocatione noſtra conſulamus.

Si noſtrum eſt Deum rebus in omnibus, in iis vero potiſſimum, quæ majoris momenti ſunt, conſulere, ſi chriſtianæ prudentiæ eſt nihil negotii ſuſcipere niſi explorata Dei voluntate, & auxilio exorato; nonne magnum nobis negotium eſt debere vitæ genus eligere? nonne magni momenti opus eſt? Varii vitæ hujus ſtatus proprie ſtatus non ſunt; neque enim ſtabiles ſunt, & permanentes; viæ tantum ſunt, quæ omnes homines in cœlum adducere poſſunt, ut æternum aſſequantur ſtatum, quem filiis ſuis præparat Deus, ſed quæ nihilominus omnes homines ad beatum hunc terminum non adducunt. Deus, qui omnes ſalvos facere cupit, quia Deus omnium eſt, non omnes eadem via ſalvos vult facere. Quemadmodum diverſos beatitudinis gradus conſtituit, & in cœlo diverſas manſiones diſtinxit, in terris quoque varios conſtituit ſtatus, tanquam totidem vias, per quas eo perveniatur, & vult alios quidem hac, alios alia incedere. Providentia ejus decrevit, qua ſingulis via procedendum ſit, neque ille nos ſuam celat voluntatem, cum bona fide illam cognoſcere quærimus. Noſtra igitur intereſt illam non ignorare, & multo magis ſequi, ubi ſemel agnoverimus eam. *P. Valois in epiſtolis ſuis, quibus ad ſolitudinem invitat.*

Diſcrimen inter eos, qui in ſtatus electione Deum conſulunt, & eos, qui ſuā tantum conſulunt cupiditatem.

Quoddam diſcrimen ponimus inter animam ſapientem, atque prudentem, quæ ſemper Domini voluntatem conſuluit, & animam inſipientem, ac temerariam, quæ, quin ſalus ſua ſibi negotium faceſſat, vitæ ſibi ſtatum eligit hoc uno conſilio, ut ſuæ ſatiſfaciat cupiditati; niſi quod altera quidem præventa eſt Domini gratia, qui poſtquam illam impulit in viam compendiariam, efficit etiam, ut audacter incedat, omneſque vitæ illius ærumnas, laboreſque mitiores facit; altera vero, cum hunc eumdem Deum ducem non habeat in via, quam ipſo inconſulto ingreſſa eſt, amaritudinibus tantum afficitur, fatigatur, opprimitur, ac tandem ſuccumbit ſub ejus ſtatus officiis, ad quem a Deo vocata non fuerat? Et profecto confidentia in Deo, ac providentia illius efficit, ut damni ſarciendi rationes in maximis laboribus inveniamus, cum ſenſus ejuſdem foventur; ſed nullam nobis aperit, cum alias ſequimur vias, & alia præter ſua oracula conſulimus. Statim ac recedis a via, in qua te incedere providentia juſſit, quo magis procedis, eo magis aberras; omnia tibi negotium faceſſunt, omnia ſenſim te in præceps adducunt, & nihilominus quotuſquiſque hac in re ſe ipſum excutit ſerio? *Ex ſermone manuſcripto.*

Dominus ſalvare vos voluit, conferens vobis gratias receſſus, ſubmiſſionis, ſilentii; voſmet ſibi adjungere voluerat efficiens, ut ab infantia jugum ipſius ferre conſueſceretis: felicia ſtudia, quibus vos ab ipſa nativitate donaverat, temperamentum mite, ac honeſtum, anima ſublimis, & magna, ſpiritus facilis, ac naturalis, recta, & pavida conſcientia, ſtatus hic, in quo vos naſci voluerat, procul a mundi tumultibus, & vanitatibus, hæc ea ſunt, quæ jampridem vobis bona contulerat, ut ſalutis viam vobis ſterneret faciliorem. Vos autem vitæ ſtatum illo inconſulto arripientes, eamque electionem facientes, cujus ille neque auctor, neque ſuaſor extitit, quid feciſtis? Heu! Thalami ſanctitas vobis erit occaſio diſſidii, atque divortii; hoc gratiæ, & benedictionis ſacramentum vobis erit cauſa confuſionis; filii veſtri in vitæ veſtræ ratione flagitiorum ſucrum exemplar invenient: mundus, quo vos non vocaverat Deus, vos fallet, atque corrumpet; munus, quod proprio marte elegiſtis, fiet vobis calix amariſſimus; voluptates, quæ maxime abhorrent a crimine, innocentiæ veſtræ erunt funeſtæ, &c. *Idem.*

Non alius optandus eſt ſtatus quam ille in quo nos Deus collocavit.

Ignorari non poteſt Deum velle aliquos ſalvos facere per opes, aliquos vero per inopiam, alios in hoc vitæ ſtatu, alios in alio. Verbo, credendum eſt, illum auctorem eſſe viæ, quam ingredimur, ut ſalutis noſtræ negotio vacemus, hoc tamen poſito, quod ipſum conſuluerimus de ſtatu, antequam illum aggrederemur, & quod eam mentem ipſe nobis immiſerit. Ita contra regulam hanc peccamus, cum alium ſtatum, aliam vitæ rationem, aliam ſortem, alia bona, alia officia, valetudinem perfectiorem, & vitam diuturniorem, & beatiorem concupiſcimus. hæc enim oppoſita ſunt ſpiritui ſtatus illius, ad quem nos Deus appellavit. *Auctor Anonymus.*

De parentibus filiorum ſuorum vocationem contra ipſorum voluntatem cogentibus.

Si quid diſcriminis invenitur inter victimas, quæ ad aræ pedes adducuntur ibi immolandæ, tantundem ſaltem adeſt inter eas rationes, quæ concurrunt, ut immolentur. Quam noxia conſilia ſeſe immiſcere conſueverunt facto, quod per ſe adeo ſanctum eſt, ac dignum, quod in honore habeatur! Quot parentes, qui odium tantummodo ſuum conſulentes, qui ambitioni ſuæ aures præbentes, qui familiam ſuam locupletare, & augere conantes, atque primogenito uberiorem, commodioremque fortunam parantes ex natu minoribus tot coactas victimas faciunt, quas invitas trahunt ad altaria jugulandas! Quot inhumani patres, qui providentiæ jura uſurpantes, cujus unius eſt de filiorum fortuna ſtatuere, curſum ejus avertunt, ordinemque mutant, ut illos accommodent, atque ad propoſitum ſibi finem adducant! Quot id genus parentes, qui ſemet ipſos conſtituentes tanquam filiorum ſuorum Deos, illos in religionis clauſtra cogunt hac una ratione ducti, quia illos mundo non ſatis utiles putant, & quod conſilia avaritiæ plena non ſinunt eos illic retineri! Dura neceſſitas filiis, quibus contigit parentibus adeo barbaris lucis uſuram debere; ſed væ parentibus illis, qui filios ſuos æternæ damnationi objicientes in anteceſſum ſemet eidem tradunt in caput, familiamque ſuam cœli maledicta, ultioneſque detrahendo. *Sermo manuſcriptus.*

Deus gratias alicui ſtatui inhærentes illis tantum concedit, quos ipſe ad illum vocavit.

Beati, qui ſerio vacant perquirendæ viæ, quæ ſibi divinitus conſtituta fuit, & qui, ubi ſemel illam fuerint ingreſſi, nunquam pedem detorquent, ſed ad finem uſque abſolvunt. In hoc Salomon maximam hominis ſapientis prudentiam collocabat; *Sapientia callidi eſt intelligere viam ſuam.* Proverb. 14. Sed e contra væ recedentibus ab hac via aliamque ingredientibus. Quemadmodum ſinguli ſtatus ſua habent officia, munera, & peculiares obligationes, quæ peculiaria exigunt auxilia, & gratias, ad hoc ut, ſicuti par eſt, adimpleantur; Deus ſecundum communem providentiæ regulam hæc illis tantum concedit, quos vocat, & merito denegat illis, qui injuſſi, & non vocati contra ejuſdem voluntatem ſeſe ſtatui alicui immiſcent; quippe Dei unius intereſt de creatis rebus, ut illi placitum fuerit, diſponere, non ſecus ac creaturarum eſt ſeſe cæce ſubmittere ejuſdem imperio: *Cor hominis*, Sapiens ait, *diſponit viam ſuam, ſed Domini eſt dirigere greſſus ejus.* Proverb. 16. Qui ſecus fecerit, recedit a via, per quam deſtinaverat Deus illum ad ſalutem adducere per errorem ſimilem errori viatoris, qui ſtatim, ubi pedem proferre incipit, errat a via, quam ingredi debet, & qui quo magis properat, eo magis recedit a termino, quo ſe perventurum exiſtimat. Ita error hominum alium ſtatum eligentium ab eo, quem ſibi a providentia fuerat conſtitutus, frangit ſeriem, & catenam mediorum, quæ illis præparaverat Deus, ut ipſos ad ſalutem perduceret; eoſque certiſſimo objicit periculo intereundi, niſi ſumma cura adniſi fuerint eum reparare errorem, in quem per malam hanc electionem lapſi ſunt. Deus enim impune abire non patitur facinus eorum, qui ſibimet ipſis viam faciunt, eam quam ipſe illis conſtituit relinquentes. Si ab ordine providentæ recedunt, recidunt in ordinem juſtitiæ, quæ juſto, terribilique judicio illis ſubtrahit gratias, quæ ipſis eſſent quam maxime neceſſariæ ad feliciter abſolvendum curriculum, in quod temere ingreſſi ſunt, illas dumtaxat relinquens, quas ſecundum communem providentiæ ordinem nemini negat, ne illis omnem viam auferat ſalutis expediendæ. *De la Font, diſcurſu pro ſecunda poſt Epiphaniam Dominica.*

Electio ſtatus vitæ reſpicit præſertim adoleſcentes.

Hæc ſtatus vitæ electio argumentum eſt, cujus cognitio eo magis eſt adoleſcentibus neceſſaria, quo minus illi hujus neceſſitatem intelligunt, & errores eorum hac in re ut plurimum ſunt irreparabiles; qui ſi quando reparantur, hoc nonniſi ſummis conatibus, ac laboribus, qui ſuperant fidem, accidit. Cæterum hi nunquam leves ſunt, & levis momenti; quoniam eorum affectus ſeſe in omnem hominis vitam extendunt, atque ad æternam uſque ſalutem progrediuntur, cujus, ut plurimum, poſt ſe interitum trahunt.... Et ſane quo labore, ab difficultate poterit aliquis ſalutem ſuam operari in eo ſtatu, cui ipſe impar eſt, & ad quem non eſt vocatus a Deo? Duarum rerum harum defectus efficiet, ut ille quamplurima peccata committat, quæ alio in ſtatu non commiſiſſet. Quippe defectus aptitudinis efficit, ut aſſiduæ occurrant illi difficultates obeunti munia, & peculiaria ſui ſtatus officia; defectus vero vocationis efficit, ut plures amittat gratias, quæ neceſſariæ ſunt, ut muneribus illis perfungatur; etenim ſe illis præbet indignum, temere ſemet in eum ſtatum intrudens Deo inconſulto, & inexplorata ipſius voluntate. *P. Gobinet in inſtitutione adoleſcentiæ parte 4.*

Quemadmodum ex omnibus terræ locis cœlum ſuſpicitur, ita ex omnibus mundi conditionibus in cœlum aſcendere poſſumus, ex pauperum tabernis æque, ac ex turribus regum, ex aula æque, ac ex clauſtris: *Unuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat.* Certum eſt tamen non deeſſe conditiones aliquas, ubi ſalus minus tuta eſt, quam alibi. Militem eſſe, ac impium a primis fidelibus nullo ferme in diſcrimine habebatur. Verum ne regnum cœlorum velut impoſſibile adſtruamus, cum ſit tantum difficile, dicamus in omnibus conditionibus ſalvari nos poſſe; verum addamus nullam eſſe conditionem, quæ ſuas non habeat pœnas, ſuoſque labores. *Auctor actionum chriſtianarum.*

Non ſatis luminis nobis eſt, ut ex nobis vitæ ſtatū eligamus.

Ut de nobiſmet, deque vocatione noſtra rite diſponeremus, utque bonam faceremus electionem, plurima nobis eſſent intelligenda, quæ omnino ignoramus; puta, impenetrabilia æternæ prædeſtinationis ſecreta, diverſa divinæ providentiæ conſilia, abditas ſapientiæ pluſquam humanæ artes, præſentem, futuramque proprii cordis diſpoſitionem. In noſtra poteſtate gratiarum clavim haberemus opus eſſet, ut pro re nata iiſdem uteremur, modo ad prævertenda pericula, modo ad reſiſtendum tentationibus; iſtic ad fugienda peccata, illic ad cohibendas cupiditates; quæ omnia ſubſidia in noſtra poteſtate non ſunt. *Idem.*

Quemadmodum Deus nobis generatim præſcripſit religionem, quæ nobis indigitat modum, quo ſibi cultum, & honorem adhiberi jubet ad figendos animos noſtros, qui ſine divinæ revelationis lumine eſſent tanquam arundines doctrinarum, ac religionum ad arbitrium confictarum vento agitatæ; ita Dei unius eſt indigitare nobis viam, quam in univerſali hoc itinere, quod oſtendit hominibus, ſequi debemus. Noſtrum non eſt nobiſmet confingere ſemitas ad arbitrium, per quas eamus ad Deum; ipſe via eſt, veritas, & vita. Heu! qui ſiccis oculis intueri poteſt cæcam adoleſcentiam, quæ temere in præceps ruit, aliis quidem caſtra ſecutis vel æſtu cupiditatum, vel exemplis, vel ratione temporum actis; aliis vero male ſociata ineuntibus conjugia ob rationes prorſus carnales, & affectiones profanas; aliis rempublicam capeſſentibus ſine captu, viribuſque, & de hominum vita, honore, boniſque judiciis ferendis ſeſe immiſcentibus, cum ipſi per ſe nullum habeant lumen, ut ſemet ipſos deducant. *Ex ſpecimine ſermonum pro Dominicis, Dominica ſecunda poſt Epiphaniam.*

Pauci audiūt vocem Dei ad vitæ ſtatum vocantis.

Si cogitamus pericula, in quibus plerique mortalium verſantur, qui totum vitæ ſuæ ſtatum, atque occupationem ſibi confingunt, unde ut plurimum ſalus, vel damnatio æterna eorum pendet, quotuſquiſque occurret, qui vere dicere poſſit: Ego ſtatum hunc amplexus ſum, quia vocem Domini audivi: qui me manu quodammodo duxit? Quippe audire Deum eſt illos audire, quos ex eo charactere, quem nobis aperit evangelium, cognoſcimus veros eſſe miniſtros illius, de quibus idem Jeſus Chriſtus teſtatus eſt: *Qui vos audit, me audit.* Luc. 10. Quotuſquiſque id genus occurret? Quot vero e contra invenientur, qui ſi vera narrare voluerint, dicent: Uxorem duxi, quia vocem audivi non Dei, ſed avaritiæ, quæ mihi dixit, conſilium, quod capiebam, mihi utile futurum, ut mihi domum, fortunamque certam ſtatuerem: hunc adii magiſtratum, quia vocem ambitionis audivi dicentis, hanc viam eſſe, qua in mundo nominis celebritatem acquirerem. Dicent alii, eoque in numero quot erunt! Statum eccleſiaſticum amplexus ſum, quia ambitionis ſimul, & avaritiæ vocem audivi dicentium, me longe faciliori negotio in eccleſia adepturum duo, quæ ab hominibus ſummo niſu, ac labore in mundo quæruntur, opes videlicet, & honorem; opes quidem, magna poſſidendo beneficia, honores autem ad eccleſiæ dignitates memet atttollendo. *Liber cui titulus: Chriſtiana documenta pro die Conceptionis B. M. V.*

Parentes explorant filiorum ſuorum vocationem pro religionis ſtatu, non autem pro mundo.

Ecce mundi injuſtitiam, immo etiam nonnullorum ex illis, qui pietatem profitentur. Si filii in aſceterium confugere volunt, immodicæ etiam præcautiones adhibentur; ſi in ſæculo permanere cupiunt, vocatio eorum non expenditur; e contra vero amor ſui tantus eſt, ut ſi filii minime placent, ſi quædam habent corporis vitia, propter quæ mundi oculis diſplicent, mundum relinquere jubentur, inexplorata Domini voluntate, & nonnunquam etiam coguntur; quæ cauſa eſt malorum, quæ explicari non poſſunt; & quin ipſis procurentur ſtatus, & officia, quæ aliquid ſaluti eorum conferant, adducuntur in eas conditiones, ubi facile intereunt. Omnia humanis rationibus, ac proprio amore ſunt plena; ſollicitantur beneficia,

cia, ut illis reditus procurentur, quæ cum ſint patrimonium pauperum, ut Sancti loquuntur, fiunt occaſio damnationis poſſidentium, cum raro in eos, quos debent, uſus impendantur. Ad id peculiari vocatione opus eſt, ac dignus eſſe debes non ſolum per animi diſpoſitionem, quæ ſcientia eſt, verum etiam per vitæ probitatem, & zelum gloriæ Dei. Ad id parentes ne animum quidem advertunt, cum de filiorum ſuorum vocatione contra Dei voluntatem diſponunt. *Auctor Anonymus.*

Adoleſcentes præſertim Deum conſulere debent de ſtatu eligendo.

Adoleſcentes, qui eam attigiſtis ætatem, qua tempus eſt conſulendi Patrem luminum, ut juſtam efficiatis electionem ſtatus, cui vos deſtinat Deus, & quem vobis ab æterno præſcripſit, audite aſceticæ vitæ magiſtros, qui unanimi conſenſu volunt a vobis diſſipari hanc cupiditatum catervam, quas ferventis adoleſcentiæ æſtus poſt ſe trahit. Etenim quæcumque ſint naturæ ſtudia, quantumcunque infelix ſit animi propenſio, ſemper quilibet ſe ipſum determinare poteſt: lumina ſemper fallacia ſunt; & cor noſtrum efficit, ut in eam partem vergamus, quo ipſe inclinat. A vobis quæro, ne quid feſtinetis; ſed antea ſerio, ſeduloque excutiatis ingenium veſtrum, & quidquid in vobis eſt cuilibet ſtatui vel congruum, vel oppoſitum; nullum enim indicium minus errori obnoxium in nobis eſt, Deum nobis nequaquam hoc, vel illud deſtinaſſe munus, quam in nobis eas agnoſcere diſpoſitiones, quibus eodem efficimur indigni. Vos præſertim moneo, ne cui humanæ rationi aurem adhibeatis, & ſemper unice cum æternitatis conſilio operemini; ita ut voſmet morti proximos cogitetis, & ex vobis quæratis, quam ingreſſos fuiſſe velletis viam, & animo de ſtatu [illegible] decernatis. Aliter quid eveniet? Proculdubio ingenium, arbitrium, libidinem, doloremque veſtrum, & ſortem etiam ſequemini. *Ex manuſcripto ſermone P. Stephani Chamillardi de oratione.*

Tenetur quilibet ad ſtatus ſui perfectionem cõtendere.

Verum non eſt ad id, ut ſalvemur, opus eſſe neceſſario, ut perfecti ſimus; illud vero certum eſt, ſecundum filii Dei verbum, unicuique ad ſtatus ſui perfectionem eſſe contendendum, atque eas ingrediendas vias, per quas eam aſſequi valeamus. Non omnes perfectiſſimum ſtatum amplecti jubemur, ſed inevitabilis nos urget neceſſitas ſumma cura, ac ſtudio noſmet perficiendi eo in ſtatu, in quo nos providentia conſtituit. Nemo immunis eſt a præcepto amandi Deum ex toto corde, ac totis viribus, perhorreſcendi peccatum, atque nihil prætermittendi, ut ad ſanctitatem perveniat. *P. Croiſet tomo 2. receſſuum.*

Quicumque in electione ſtatus negligunt ordinem Dei, ut propriis cupiditatibus obſequantur, næ his quidem metuendum eſt, ne cæcitati ſuæ a Domino derelinquantur, & ne ipſis aliquid ſuperſit vel luminis, vel prudentiæ, ut in hoc mundo, ejuſque variis muneribus ſecernant ea, quæ mala ſunt, vel periculoſa, & minus adhuc virium ſuppetat ad ſuperandas tentationes, quæ ſeparari non poſſunt. Sin autem poſtquam conſcientiam ſuam conſuluerint, atque illuminatæ pietatis viros audiverint, intelligunt tandem ſe non eſſe eo in loco, in quo illos eſſe vult Deus; inde quam primum, tanquam ex domo, ſingulis cujus lateribus adhæret ignis, egredi debent. *De S. Martha tomo 2. tractatuum aſceticorum.*

Hominum plerique fortuito ſtatum, & conditionẽ amplectũtur.

Cum per ætatem hominibus integrum eſt eam eligere profeſſionem, quæ occupet illos, & in qua ſanctificari poſſint ejuſdem muneribus, uti æquum eſt, perfungentes, nequaquam interrogant ſe ipſos, cuinam rei pares ſint, quid ferre recuſent, quid valeant humeri; ſed forte, ac temere, cæcoque impetu ſeſe injiciunt in eas profeſſiones, quæ, cum ipſis minus ſint congruæ, ibidem ſunt veluti in præcipiti, ac intereunt, quin fere cogitent mala, in quibus verſantur. Eaque cauſa eſt perturbati ordinis, quem in ſtatibus omnibus intuemur. Etenim cur mundus repletus eſt tot eccleſiaſticis, modo prorſus ſæculari viventibus? cur tot videntur judices rudes, & avari? Cur tot furta, rapinæ, fraudes, jurgia, odia, ultiones, ærumnæ ubique terrarum? Quia ſine vocatione, ſine cognitione, ſine deſiderio illa obeundi, quæ ab homine æquo, veroque chriſtiano ſtatus illi requirunt, eoſdem ingredimur. *De S. Martha tomo 2. tractatuum aſceticorum, Tractatu de modica ſui ipſius conſideratione.*

Status mutandi deſideria ſuſpicione carere nõ debent.

Certum eſt, motus interiores, quos concipimus ex illo egrediendi ſtatu, in quo credendi locus eſt nos a divina providentia fuiſſe conſtitutos, ſuſpicione vacare non poſſe, cum dubitandi locus ſit, hanc nobis mentem injici vel a dæmone, vel ab amore naturali, quo ſtatus mutationem appetimus, qui efficit, ut vix noſtra conditione contenti ſimus, & noſtræ alienam anteferamus, rati eam vel jucundiorem eſſe, vel utiliorem. Quemadmodum autem non adeo facile eſt horum motuum principia cognoſcere, non aliud nobis conſulendum eſt oraculum, quam quod conſuluimus, antequam munus illud aggrederemur, a quo recedere meditamur. *Liber, cui titulus: Dialogi Abbatis Joannis, & Euſebii presbyteris.*

Imprudentis eſſet temere monaſticam vitam ingredi, quamvis cauſa illa ſemper laudabilis ſit; quamvis ſtatus ille adeo tranquillus ſit, perfectus, atque tutus. Parentum intereſt de filiorum deliberatione adeo generoſa diffidere, in qua ſæpe perfunctoria inclinatio locum habet conſiderationis, atque conſilii. Monitis ſalutaribus, & rationabili mora ſupplere debent defectui experientiæ in ætate parum matura, & quæ plerumque faſtidio, ac pœnitentiæ eſt obnoxia. Verum enim vero ſi hujuſmodi præcautiones neceſſariæ ſunt ad eum ſtatum amplectendum, quem mundani colunt, quem ſanctum eſſe fatentur, & cui ſæpe beatiſſimus quiſque invidet e ſæculo; nunquid minus erunt neceſſariæ, cum ea amplectenda erit conditio, quæ neminem unquam beatum fecit, & ubi omnes uno ore confitentur longe difficilius eſſe ſanctitatem acquirere? Num ſatis erit a parentibus diligi, ingenii acumine pollere, corporis forma præſtare, opimam expectare hæreditatem, maximum eſſe natu, vel unigenitum, ut aliquis mundo deſtinatus cenſeatur? Etenim, quæ alia, ut plurimum, cauſa eſt adeo periculoſæ electionis, cum interim quidquid habetur velut calamitoſum, & rejectaneum, eccleſiæ, & aſceteriis natum exiſtimatur? *P. Croiſet tom. 2. ſpiritualium conſiderationum.*

Quid ut plurimum de filiorum in familiis vocatione decidat.

Adoleſcenti ſatis eſt in familia minorem eſſe natu, ut dubitandi locus non ſit, quominus ad ſacrum altarium miniſterium vocatus ſit; ſi rerum facies mutaretur, vocatio quoque inverteretur. Puellæ opes deſunt, ajunt, Dei ſpiritum parentibus hanc mentem injicere, ut illam religionis clauſtra ingredi oporteat. Sin autem locupletem habeat dotem, ſi inſignem adepta eſt hæreditatem, illius in religionem vocatio tentatio eſſe exiſtimatur. Nunquid hanc urnam movet Deus? Nunquid Dei ſpiritus ita conditiones partitur? Nullo pacto, ſed cæca prædilectio, ambitio, avaritia, jus nativitatis ſæpe, inconſulto Deo, de filiorum ſorte decernit. Primogenitum ſaluti ſuæ in religioſo ſtatu conſulere velle, illuſio eſt, dementia; perfugium hoc natu minoribus dumtaxat patet; nativitatis locus eorum ſortem conſtituit; vocati ſint necne, nihil intereſt; parentes eorum hanc vocationem accepere; hoc ſatis eſt, nullum præterea conſulitur oraculum. Ingenium parum docile, inconſtans, rude, qualitates eſſent parum utiles mundo, at ſatis aptæ ſunt victimæ, quæ non Domino quidem, neque enim voluntas, & gloria illius ibi quæritur, ſe crudeli familiæ utilitati immolatur, cui & ſalus, & religio ſacrificantur. *Idem.*

Quantumvis ſapientes ſint præcautiones ab hominibus ſuſceptæ, cum hunc mundi ſtatum elegerunt, quemadmodum vocatio nequaquam liberat a periculis, quæ ibi inveniuntur, timor cum electione finem eundem habere non debet. Nihil ſcire prodeſſet mare ſcopulis plenum eſſe, niſi illos indeſinenter evitare ſtuderemus. Mundani proceloſo navigant mari, ſufficitne ab illis non ignorari pericula, quin jugiter invigilent ſcopulos evitaturi? Cogitatio, quam habent a Deo in hoc ſtatu ſe poſitos fuiſſe, nequaquam illos diſpenſat a neceſſitate indeſinenter vigilandi, ut evitent naufragium. Non ſatis eſt ſcire aerem, quem reciprocamus, malum eſſe, amuleta ſumenda ſunt, ne illius tabem contrahamus. Nunquid ſapientia eſt ſcire, te in hoſtico iter facere, & inermem incedere, quin tibi caveas? *Idem.*

Mirum eſt quod homines mundi ſtatum eligunt, quin ſciant utrũ a Deo vocentur.

Mirum! furenti animo mundi ſtatus arripitur, quin ſciamus, utrum a Deo vocemur, atque in admirabili ſecuritate vivitur, quaſi nihil ſaluti noſtræ metuendum eſſet. Fatemur arduum eſſe ibi ſanctos fieri, nihilque agimus, ut efficiamur. Perdifficile eſt, dicimus, in mundo ſalvari; at nonne magis adhuc mirum eſſet, ſi quis ibi ſalutem ſuam operaretur, vitam adeo parum chriſtianam ducens? Statui acceptus referendus non eſt eorum, qui pereunt, numerus. Conditio mundanorum nunquam fuit obex ſaluti eorum, qui ad illam vocati fuerunt .... Dominus conſulendus eſt, antequam illuc ingrediaris. Ubi vero ingreſſus fueris, illic vivendum eſt, tanquam ſub cœlo inclementi, & velut in hoſtico. Virtus ipſa, quæ altius radices jeciſſe videtur, non

ſemper

ſemper ab illius contagione tuta eſt. Laquei, licet aperti ſint, non ideo tamen cautius vitantur. *Idem.*

Negotioſorũ hominũ vita non eſt pacatior, quam in aliis ſtatibus, ſi voceris.

Mercaturam facis, opes congerere ſtudes. Speras eamdem tibi, ac tot aliis adfore felicitatem. Ambitioſus es, ſatis ingenii tibi eſſe putas. Eventus parum videtur incertus illi, qui eſt audax. Hoc eſt proceloſum mare, ſcopulis plenum, ac naufragiorum frequentia infame; attamen navigas, & ubi contrarii afflaverint venti, eos te remis ſuperaturum putas, & quilibet ſperat ſe tuto in portum eſſe perventurum. Neceſſe non eſt hoc in loco laborum, quibus id genus homines torquentur, texere nomenclaturam. Nemo negotiis ſe immiſcet, qui ubique imaginem ſuam non relinquat. Oris habitus cogitabundus, ac moroſus, ſolitarii hominis facies, impeditiores agendi, loquendique rationes, quæ procul ſemovent, quidquid de fænore, uſura, contractu, mutuo non loquitur; hæc omnia locum præbent quærendi, utrum in mundo ſit vitæ genus magis auſterum, atque moleſtum, & utrum manifeſta opus ſit vocatione, ut labores, & curæ; individuæ illius comites, ſuſtineantur, & ne præ cupiditate opum coacervandarum lædatur conſcientia? Cupiditas quæſtus nonne objicit periculo in nullam reditus ſpem intereundi in vocatione adeo pernicioſa, quæ alioquin reipublicæ eſt adeo neceſſaria? Igitur peculiari opus eſt gratia, cujus ope ſaluti conſulatur; eaque non alia profecto eſt, quam gratia vocationis. *Idem.*

Eccleſiaſticus ſtatus ſæpe per ambitionem, avaritiam, vel aliam ſimilẽ humanam rationem eligitur.

Eccleſiaſticum ſtatum ingrederis, ſed in hac electione nullam fere partem obtinet Deus. Familiæ utilitas ſæpe puerorum fatum conſtituit, & locupletis beneficii ſpe defectui vocationis ſuppletur. Illum, cui modicum quidem pietatis eſt, plurimum autem ambitionis, tædet vitæ humilis, & obſcuræ, cupiditas omnium ſtatuum eſt, objecta ſunt varia, ſed paſſio eadem, & in eccleſiaſtico ſtatu æque, ac in mundo quiſque ſuam promovere ſtudet fortunam, hoc eſt recentem quærit dignitatem, reditusque locupletiores. Credis tibi ſemper adeſſe merita, ex quo adeſt deſiderium. Quid autem intentatum relinquitur, ut eo perveniatur? ...... Res ceſſit ex voto? aſſecutus es beneficium, quod optabas; aliam jam ludis perſonam. Sed es ne contentus? Nulla dignitas eſt, quæ jus ad alteram præbere non videatur. Quilibet gradus nos ſublimiori admovet, ac deſiderium ad illum aſcendendi creſcit. Donec gratia novitatis viget, placet non eſſe amplius, quod antea; at ubi gratia iſta conſenuit, dolemus, quod minime ſumus, quod eſſe poſſumus; ambitio proſpero rerum eventu non ſaturatur. *Idem.*

Cum non conſulimus Deum in electione ſtatus, plurimis nos circumſeptos videmus periculis.

Modicam ſane ſalutis ſuæ rationem habere, Deumque ipſum haud magno in diſcrimine ponere dicendi ſunt mortales in ſtatus ſui electione, quandoquidem illum conſulere negligunt. Mirumne eſſe debet, ſi ibi tot conficiuntur curis, ſi illic tot ipſis negotium faceſſunt, ſi adeo miſere labuntur? Chimerici Dii, quos conſulitis, & in quibus omnem confidentiam veſtram collocatis, per irriſionem Propheta dicebat, in urgentibus neceſſitatibus veſtris vos adjuvent. In eo, quod cepiſtis conſilio, mundum dumtaxat, cupiditates veſtras, veſtræque familiæ utilitatem conſuluiſtis; de quo igitur inter pœnitentias veſtras conquerimini? Ambitioni dumtaxat nuncupaſtis vota, in electione veſtra carnis, ſanguiniſque vocem audiſtis; igitur in tot amaritudinibus, in tot ærumnis, in negotiorum veſtrorum adverſitatibus ad eos confugite, qui vobis idoli, & oraculi loco fuerunt, & ipſi vos malis veſtris eripiant. Proh, Domine, quot prohiberentur ægritudines! quam pauci eſſent miſeri! quam infrequentia eſſent in hoc proceloſo mari naufragia, ubi ſine terrore tot errant mundani, ſi nemo ſe inconſulto illud navigandum ſuſciperet, ſi tu Sydus eſſes, a quo toto itineris decurſu nunquam oculos declinarent! Quid ſperandum non eſt, cum Dominus, cui ſervimus, & dux, quem ſequimur, fluctibus imperat, eoſque in officio coercere didicit? *Idem tomo 2. chriſtianarum conſiderationum.*

Parentes non ſunt arbitri vocationis filiorum ſuorum.

Perſuaſum eſſe debet non licere parentibus, inconſulto Deo, filiis ſuis munus, aut vitæ ſtatum eligere, quin ſciant utrum illi a Deo vocentur, & quin hac in electione cogitent aliud, quam humanas rationes, & terrenas utilitates. Non licere illis exempli gratia filium eccleſiæ, alterum vero mundo deſtinare; alium conjugio, alium religioni ob ſolam ætatem, ob conſuetudinem, & familiæ utilitatem; quia alter quidem primogenitus eſt, alter minor natu; quia alter quidem habet talenta, quibus in mundo nitere poteſt, alter vero illis caret; quia filia hæc oris habitu, & ſpecie præſtat, altera vero non item; quia illi familiæ decorem vel ſuſtinebunt, vel augebunt: quia dignitas hæc ampliſſima eſt, vel quia conditio hæc illis aperiet opes congerendi, ſuumque ingenium, ſcientiam, eloquentiam oſtentandi viam: Hoc eſſet auferre Deo ſupremam, & juſtam poteſtatem, quam habet in creaturas, eamque ſibi vendicare, ita de filiis ſuis juxta propriam voluntatem, & privatas rationes diſponendo. Itaque ſatis frequenter videmus, Deum hujuſmodi filios tradere cupiditati parentum eorumdem, ac permittere, ut illis e voto cedant ambitionis; & avaritiæ conſilia, quæ in altera vita futura ſunt parentum ſimul, totiuſque familiæ ſupplicia. Infelicitatis vero illorum cumulus eſt, quod illi eventus hos tamquam magnum bonum, & cumulum cœleſtium benedictionum reſpiciunt. *Specimen Ethicorum in evangelium in octava Epiphaniæ.*

Nil vulgatius eſt, quam videre parentes, qui de filiis ſuis diſponunt juxta leges quaſdam, quas libido invexit. Ut natu maximus fiat locupletior, opus eſt, exempli gratia pleroſque aliorum in eccleſiam, vel religionem intrudi. Primogenito huic comparanda eſt dignitas, quantumvis fortaſſe illi prorſus ſit impar; hoc eſt, ut mundo mos geratur, oportet de filiorum vocatione diſponere, quin aliud quidpiam præter humanas rationes conſulatur. Hoc vulgo accidit, & conſuetudo hæc in omnibus ſtatibus pietatem evertit, replendo civitates malis magiſtratibus, eccleſiam malis miniſtris, religionem malis religioſis. Quippe habita vitæ ſtatus electione, quia nullam unquam Deus in ea partem habuerit, renuit plerumque Deus temerariis hiſce conatibus benedictiones ſuas, ideoque illi non aliud ſunt, quam malorum multiplicatio. Vitæ genus, ac profeſſio perperam eligitur, quam ubi ingreſſus fueris, eadem mente, ac ſpiritu, quo ingreſſus eſt, in eadem verſaris. Mala malis agglomerantur, ac ſæpe accidit, ut malarum electionum auctores omnium primi funeſtos illarum exitus experiantur; ut filii non ſine aliorum detrimento locupletati, poſtquam Deo ingrati fuerunt, ſint etiam adverſus eos, a quibus ita amati fuere, & ut Deus non ſinat, hos parentes, qui illa infringunt jura, quæ ipſe obtinet in filios eorum, iiſdem juribus perfrui, quæ ad illos legitime pertinent. *Ibidem.*

Quid agendum ubi ingreſſus fueris conditionem periculoſam vel parum aptã, ut ibi ſalutẽ tuam opereris.

Fatendum eſt in mundo quaſdam adeſſe conditiones, & munera, quæ licet per ſe culpa vacent, & immo civium ſocietati ſint fortaſſe neceſſaria, ſunt nihilominus ſaluti periculoſa, & apta ad eos, qui ſe ſe illis immiſcuerint, a cœleſti regno amovendos. Publicam perſonam geris, Principi adſtas, familiæ curam exerces, vix graviſſimis occupationibus, quibus obrueris, ſucciſiva aliquot eripere tibi licet momenta, quibus ei vaces negotio, quod unice, & maxime neceſſarium eſt. Hoc tamen fieri poſſet majori etiam cum attentione, conſtantia, ac fide; quod inde conjicere eſt, quod in impeditiſſimis etiam conditionibus, quibus humana mens maxime diſſipatur in aula, & exercitus, inter homines negotiis, & commerciis abditos ſemper inventi ſunt nonnulli chriſtani fideles, qui vero zelo, ac pietate erant ſuccenſi. Sed ubi primum varios hoſce ſtatus ingrederis, te ipſum ſtatim regas oportet, ne vitam temere ducas, ſed bonum probatumque virum conſulas, qui liceat, & quid debeas Deo, & conſcientiæ tuæ in ea conditione, cui te adhæſiſſe doles, & quam non niſi propter Dei voluntatem, ac inevitabilem negoriorum tuorum neceſſitatem ſequeris: alioquin, iterum dico, ſtatus hujuſmodi omnino periculis pleni ſunt. *P. Surin tomo 3. dialogorum aſceticorum.*

Deus ſæpe vitæ caſibus utitur, ut homines in tutiorem ſtatum adducat.

Hujus vitæ caſus, qui ab hominibus adverſitates vocantur, per quos Deus ex mundo aufert homines quoſdam, ut illos in religionem, vel in eum ſtatum adducat, ubi illi ſervire, ac ſalutem ſuam valeant operari; hi caſus inquam re ipſa fortuiti non ſunt, quippe non ſunt adverſitates, ſed divinæ miſericordiæ conſilia, quæ ſæpe inopinatis hujuſmodi eventibus utitur, ut eos, quos peculiari protectione tuetur, ex mundo, & aula tamquam ex naufragio educat. *Abbas Trappenſis in Chriſtianis effatis tomo 1.*

De vocatione ad ſtatum eccleſiaſticum.

Cuinam tanta eſſe poſſet temeritas ad ordines, & eccleſiæ dignitates obrependi, quin ad id peculiariter a Deo vocaretur? Non ſatis eſt ſe doctum eſſe, ſapientem, ac moribus irreprehenſibilem; te Deus vocet, opus eſt, tuta, probataque vocatione. Satis liquet, non ſufficere bonis præditum eſſe qualitatibus, ut ad primas reipublicæ dignitates, & ad civitatis regimen promovearis: præcipue neceſſarium

eſt a